DE VESTIGIIS

IURIS GENTIUM HOMERICI.

SCRIPSIT

TH. SORGENFREY.

DISSERTATIO INAUGURALIS.

LIPSIAE.
EX OFFICINA GIESECKE & DEVRIENT.
1871.

1873, Jan. 23.
Minot Fund.

HERMANNO LIPSIO

GEORGIO VOIGTIO

D. D. D.

Unicuique qui rebus Graecis operam daturus est, a carminibus homericis incipiendum esse, nemo est qui infitietur. Carmina enim homerica constat inter omnes antiquissimos esse fontes, ex quibus intellegi possit, qualis aetate heroica — ut aiunt — Graecorum status fuerit. Qui quidem Graecorum status iam tam excultus est, ut summo iure negari possit, res in carminibus homericis narratas Graecarum rerum esse antiquissimas. Equidem hac in re prorsus SCHOEMANNO assentior, qui in Griech. Alterth. vol. 1^2 p. 23 censet, res in carminibus homericis descriptas poeticam — ut ita dicam — imaginem aetatis heroicae praebere. Attamen cum ex aliis fontibus vix quidquam haurire possimus, contenti simus necesse est iis, quae in carminibus homericis exponuntur. Nec deerant, qui ex carminibus homericis aetatis quam dicunt heroicae statum eruere studerent. Iam anno 1677 EBERHARDUS FEITH antiquitatum homericarum libros quattuor edidit. ed quaeritur, num hodie quoque operae pretium sit, antiquitates homericas indagare. Cum enim hodie de carminibus homericis inter viros doctissimos summa sit dissensio, ei qui homericis versibus usurus est, aut multi omittendi sunt aut omnino id praetermittendum est, quod versus posteriore tempore additi sunt. Nec vero is sum qui dicam illam quaestionem de versibus spuriis habitam a nobis maxime esse respiciendam sed tantum cavendum esse censeo, ne versibus qui a viris doctis certissimis argumentis additi esse probantur, momentum tribuamus.

Sed antequam ad rem ipsam aggredimur, quam paucissimis exponamus necesse est, quid dicamus ius gentium homericum esse, cuius vestigia indagare in animo est. Notissimum enim est, iuris consultos nostros ius gentium appellare quod Hugo ille Grotius primus certis finibus descripsit. Est autem ius gentium — ut Heffteri verbis utar — ius quod inter liberas gentes quarum altera alteri non est subiecta, aeque observatur ex opinione quadam necessitatis, e naturali ratione descendens usuque (cf. Hefftfri prolusio de antiquo iure gentium, Bonnae 1823 edita, p. 2). Quod ius gentium a veteribus maximeque a Graecis prorsus abiudicandum esse ille vir censet (cf. l. l. p. 3). Iam vero idem Heffterus in libro: „Das europäische Völkerrecht der Gegenwart", Berolini 1844, p. 6 concedit, iam antiquissimis temporibus certos populorum mores inveniri, qui maxime ad bella gerenda, ad legatos mittendos excipiendosque, ad foedera icienda spectent. Nec vero hi mores qui initium iuris gentium praebent, servati sunt propterea quod populus populo obstrictum se esse censebat, sed quod deorum cultu et antiquo more receptum erat. At omnino ius gentium e more usuque originem petere arbitror. Hunc autem morem eo firmatum esse constat, quod dii ipsi eum tueri credebantur. Ita factum est, ut omnes fere mores qui ad ius gentium spectant, deorum ultione etiam temporibus homericis defenderentur. Infra videbimus, legatos et supplices a Iove defensos, omnia foedera sacris sacrata esse. Quae cum ita sint, omnino abiudicandum ius gentium non est. Sane quidem exspectari nequit, fore ut certis legibus illud ius iam firmatum sit, sed vestigia quamvis hic et illic non statim appareant, neganda non sunt. Quae vestigia ipse Heffterus his verbis concedit: Will man dieses nun das Völkerrecht der alten Welt nennen, so lässt sich nicht widersprechen; gewiss stand es auf einer sehr geringen Stufe; es war ein Theil des Religionsrechts aller oder doch bestimmter Nationen. Quodsi haec esse vestigia iuris gentium censemus, etiam causa illa tollitur, cur ius gentium Grae-

cum negemus. Negavit enim HEFFTERUS in prolusione de iure gentium scripta p. 3, se ausurum esse ex iis quae poetae Graeci effati sint, origines iuris gentium repetere, „praesertim cum permulta facta ab ipsis enarrata satis probent, haud sane communem fuisse popularibus iuris sublimioris sensum.“ Quam sententiam si sequimur, eo adducimur, ut hodie quoque ius gentium esse negemus. Quis enim est, qui infitietur, hodie quoque multas res fieri quae iuri gentium plane repugnent? Nec tamen concedamus, nos communi iure non uti, quippe quod hic et illic laedatur. Haud aliter res homericae sese habent. Sane quidem facta inveniuntur, quae iuri gentium repugnent: nec vero illius iuris vestigia negari possunt. De iure gentium autem homerico quod sciam nemo scripsit, nisi forte WACHSMUTHI librum qui inscribitur „ius gentium quale obtinuerit apud Graecos ante bellorum cum Persis gestorum initium adumbravit W. WACHSMUTH“, Berolini 1822 editus hoc loco nominandus est. Sed hic vir aetatem homericam paucissimis tantum verbis attigit. Eodem modo qui de rebus homericis scripserunt hic et illic ius gentium adumbraverunt, quos viros hic enumeremus non est necesse, cum in re ipsa tractanda suis locis eorum libri vel libelli laudandi sint. Nonnullos tantum tamquam principes hoc loco commemoremus. Sic NAEGELSBACHIUS in theologia homerica (cuius editio altera, quam Autenriethius Erlangae anno 1861 edidit, in laudandis paginis adhibebitur) inde a p. 294, sic C. FR. HERMANNUS in egregio illo libro qui inscribitur: „Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer“ (editione quarta Heidelbergae anno 1855 edita utar) § 9 p. 38 iuris gentium vestigia in carminibus homericis esse invenienda omnino negant, propterea quod populi adversus populos pactis non coniunctos continua bella gesserint, at GLADSTONIUS in studiis homericis (vol. 3 p. 4) notionem civilis iustitiae et publici iuris Graecis illo tempore non ignotam fuisse ex iisque ius gentium originem petere censet. Praetermittamus iam ut proposuimus HUELLMANNUM, LILIE,

Rubinonem, Kostkam, Schoemannum, Nitzschium, alios qui data occasione ius gentium homericum attigerunt quique suis locis a me commemorabuntur.

Iam vero conemur, vestigia iuris gentium homerici quantum possumus indagare et quaeramus quaenam illa vestigia sint. Quam quidem quaestionem ita instituamus, ut primum quidem de iuris gentium vestigiis agamus, quae in pace, tum de vestigiis, quae in bello cernuntur.

Incipiamus igitur ab indagandis vestigiis iuris gentium, quae pacis institutis ostenduntur ac primum quidem de commercio dicamus. Illis enim antiquissimis temporibus more receptum erat, ut bene exciperentur, qui hospites ad aedium portas venirent. Qui mos tam necessarius erat, ut nisi fuisset omnino commercium fieri non posset. Commercium autem illis temporibus iam floruisse certis argumentis ex ipsis carminibus sumptis probatur: qua de re Piersonius in novi mus. Rhen. vol 16. p. 82 sqq accuratissime agebat. Consentaneum autem est, illud commercium fere nihil aliud nisi rerum commutationem fuisse. Velut H 467 sqq[1] narratur, naves Lemno ad Graecorum castra venisse, quae vinum afferrent ibique nautas vinum variis rebus commutasse.

νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέστασαν οἶνον ἄγουσαι
πολλαί, τὰς προέηκεν Ἰησονίδης Εὔνηος.
ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσιν,
ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

Nec solum Lemnii mercatores fuisse traduntur, verum etiam Taphii, Cretenses, maxime Phoenices. Quantum autem illud commercium fuerit, apparet ex eo quod illi navibus suis in ultimas atque extremas terras navigaverunt. Namque et in Aegyp-

[1] Versus homerici secundum primam Bekkeri editionem Berol. 1843 editam laudantur.

tum et in Asiam et in Thraciam et in Siciliam commercii causa mercatores profecti sunt non timentes, ne ibi laederentur. Nec vero verum est, quod MUELLERUS (Gesch. der hellen. Stämme I² p. 299; cf. BUECHSENSCHUETZ, Besitz und Erwerb, p. 359) adnotat, mercatores non Graecos sed barbaros fuisse. Etenim υ 382 sq Penelopae proci minitantur:

τοὺς ξείνους ἐν νηὶ πολυκλήιδι βαλόντες
ἐς Σικελοὺς πέμψωμεν, ὅθεν κέ τοι ἄξιον ἄλφοι

et α 182 sqq Mentes Temesae aere cyprio ferrum commutasse fertur.

νῦν δ' ὧδε ξὺν νηὶ κατήλυθον ἠδ' ἑτάροισιν,
πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον ἐπ' ἀλλοθρόους ἀνθρώπους,
ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκόν, ἄγω δ' αἴθωνα σίδηρον.

Hoc autem utroque loco mercatores Graecos intellegendos esse luculentissime elucet. Cui quidem sententiae non obstat, quod mercatores omnino illis temporibus parvi aestimati esse dicuntur. Notissimum enim est, quantopere Ulixes eo commotus sit, quod Euryalus Phaeax dixit, eum mercatorem esse videri. Cf. θ 161 sqq

ἀλλὰ τῷ ὅς θ' ἅμα νηὶ πολυκλήιδι θαμίζων,
ἀρχὸς ναυτάων οἵ τε πρηκτῆρες ἔασιν,
φόρτου τε μνήμων καὶ ἐπίσκοπος εἶσιν ὁδαίων
κερδέων θ' ἁρπαλέων· οὐδ' ἀθλητῆρι ἔοικας.

Ulixes enim statim θ 166 haec respondit:

ξεῖν', οὐ καλὸν ἔειπες· ἀτασθάλῳ ἀνδρὶ ἔοικας.

Nec neglegendum est, mercaturam ducibus indignam habitam esse. Graeci enim etiam posteriore tempore omnino negaverunt, liberis hominibus dignum esse, quod laboribus bona sibi pararent. Cf. BUECHSENSCH. l. l. p. 256. Itaque haud quaquam mirandum est, quod eo tempore, quo milites civitatibus praeerant, tantum bellum libero viro maximeque principe dignum putatum est. Illi autem mercatores non dubitabant, peregrinas terras

intrare, ut res gererent lucrumque facerent. Velut Phoenices Syram venisse o 415 sq

ἔνθα δὲ Φοίνικες ναυσίκλυτοι ἤλυθον ἄνδρες,
τρῶκται, μυρί' ἄγοντες ἀθύρματα νηὶ μελαίνῃ,

ibique unum annum versati esse dicuntur o 455 sq

οἱ δ' ἐνιαυτὸν ἅπαντα παρ' ἡμῖν αὖθι μένοντες
ἐν νηὶ γλαφυρῇ βίοτον πολὺν ἐμπολόωντο.

Nec solum negotiatores terras visisse videntur, verum etiam caupo o 459 sqq venisse traditur, qui res commutaret.

ἤλυθ' ἀνὴρ πολύιδρις ἐμοῦ πρὸς δώματα πατρός
χρύσεον ὅρμον ἔχων, μετὰ δ' ἠλέκτροισιν ἔερτο.
τὸν μὲν ἄρ' ἐν μεγάρῳ δμωαὶ καὶ πότνια μήτηρ,
χερσίν τ' ἀμφαφόωντο καὶ ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶντο,
ὦνον ὑπισχόμεναι· ὁ δὲ τῇ κατένευσε σιωπῇ.

Quo loco quamquam vir ille tantum eo consilio merces venditans missus est, ut mulieri Sidoniae signum promissum daret, tamen illud fieri non potuit, nisi more receptum erat, ut institores domos ipsas intrarent ibique res gererent. Nec vero quisquam domum intrare ausus est, nisi scivit, se iure quodam defensum esse: apparet enim, negotiatores quippe qui peregrini essent, hospitalitatis iure usos esse. Alia quoque vestigia probant, ali genti cum alia gente negotium, ut ita dicam, terrestre fuisse. Namque Telemachus cum Spartam sese conferret, curru vectus esse fertur: γ 495 sq

ἷξον δ' ἐς πεδίον πυρηφόρον, ἔνθα δ' ἔπειτα
ἦνον ὁδόν· τοῖον γὰρ ὑπέκφορον ὠκέες ἵπποι.

Quo loco nemo est, qui non intellegat, vias tum iam fuisse. Adde quod Hector Σ 290 sqq narrat, Priamum divitias suas commutasse

νῦν δὲ δὴ ἐξαπόλωλε δόμων κειμήλια καλά,
πολλὰ δὲ δὴ Φρυγίην καὶ Μῃονίην ἐρατεινὴν
κτήματα περνάμεν' ἵκει·

quae rerum commutatio tum omnino fieri non potuit nisi Tro-

ianis cum Phrygiis Maeoniisque antea commercium fuit. Sed ut tale commercium terrestre fieret, viae paratae fuerint necesse est.

Ita etiam — ut alia commercii vestigia afferam — I 381 sq res laudantur, quae Orchomenum et Thebas Aegyptiacas missae sunt:

οὐδ' ὅσ' ἐς Ὀρχομενὸν ποτινίσσεται, οὐδ' ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται.

Commercium autem cum tantum esset, catalogi poeta iure suo Κόρινθον ἀφνειόν B 570 appellavit. Nec negari potest, commercium in castris quoque Graecorum factum esse. Iam supra commemoratum est, Lemnios vinum attulisse idque variis rebus maxime vero ferro et aere commutasse. Nec vero solum milites res, quas praedati erant, commutaverunt sed etiam duces viros captos vendiderunt. Quid enim iis faciendum erat? Velut Achilles Lycaonem Lemni vendidit. Cf. Φ 40 sq

καὶ τότε μέν μιν Λῆμνον ἐυκτιμένην ἐπέρασσεν
νηυσὶν ἄγων, ἀτὰρ υἱὸς Ἰήσονος ὦνον ἔδωκεν.

Quid? credamusne ipsum Achillem Lemnum sese contulisse, ut captivum commutaret. Mea quidem sententia ita verba explicanda sunt, ut Achillem eum Lemnum misisse appareat. Qui quidem verborum sensus iis firmatur, quae Lycaon ipse Φ 78 sq dixit:

καί μ' ἐπέρασσας ἄνευθεν ἄγων πατρός τε φίλων τε
Λῆμνον ἐς ἠγαθέην.

Accedit, quod fieri vix potuit, ut unusquisque quem ceperat ipse commutaret: verum tamen captivi e castris Graecorum quam celerrime ducerentur necesse erat. Quod si omnia haec vestigia contemplamur, non potest non concedi, commercium homericum fuisse idque multo maius quam illi putaverint, qui homines illorum temporum non alios fuisse censuerint quam qui hodie in extremis insulis habitent.

Iam vero apparet, quantopere commercinm iure gentium adiutum sit. Verum tamen negotiatores illi saepe non dubitaverunt, lucrum rapinis facere: ita factum est, ut negotiatores non solum res pecudesque verum etiam homines rapuisse tradantur. Adde quod ars navigandi in carminibus homericis iam tam exculta fuisse nobis traditur, ut facile suspiceris, illos nautas in extremas regiones navigasse. Quaenam autem causa fuerit cur tot ac tantos labores sustinerent, dubium esse nequit. Namque iam tum summa cupidine lucri faciendi homines impleti erant nec quidquam impedivit, quominus in externis regionibus divitias sibi parare studerent. Ii autem qui commercio non favebant, feri agrestesque habiti sunt. Cyclopes quidem soli omni vitae ratione expertes in carminibus homericis commemorantur, qui nullum commercium fecerunt. Cf. ι 125 sqq

οὐ γὰρ Κυκλώπεσσι νέες πάρα μιλτοπάρῃοι,
οὐδ᾽ ἄνδρες νηῶν ἔνι τέκτονες, οἵ κε κάμοιεν
νῆας ἐυσσέλμους, αἵ κεν τελέοιεν ἕκαστα
ἄστε᾽ ἐπ᾽ ἀνθρώπων ἱκνεύμεναι, οἷά τε πολλά
ἄνδρες ἐπ᾽ ἀλλήλους νηυσὶν περόωσι θάλασσαν.

Omnes autem peregrini erant sacrosancti et a Iove tegebantur. Cuius rei si exempla petimus multa nobis occurrunt, ex quibus luculentissimum tantum eligere satis erit. Velut Nausicaa ζ 207 sqq notissima illa verba profert:

πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
ξεῖνοί τε πτωχοί τε, δόσις δ᾽ ὀλίγη τε φίλη τε

quae verba cum Eumaei verbis ξ 57 sq plane congruunt. Quare quoniam Iuppiter peregrinos tueri dicebatur, ipse deus hospitalis (ξείνιος) appellabatur: cf. ι 270 sq

Ζεὺς δ᾽ ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε,
ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ᾽ αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Cf. etiam ξ 389, η 164.

Tali igitur tutela usi peregrini ubique excipiebantur nec solum cibo verum etiam vestibus donabantur. Turpe quoque

illo tempore habebatur, peregrinum domo prohibere. Itaque Menelaus Eteoneo opprobrio fecit quod peregrinos ad alium missurus erat. Cf. δ 30 sqq

τὸν δὲ μέγ' ὀχθήσας προσέφη ξανθὸς Μενέλαος
οὐ μὲν νήπιος ἦσθα, Βοηθοίδη 'Ετεωνεῦ,
τὸ πρίν· ἀτὰρ μὲν νῦν γε πάϊς ὣς νήπια βάζεις.
ἦ μὲν δὴ νῶϊ ξεινήια πολλὰ φαγόντε
ἄλλων ἀνθρώπων δεῦρ' ἱκόμεθ', αἴ κέ ποθι Ζεύς
ἐξοπίσω περ παύσῃ οἰζύος.

Item Nestor γ 69 sqq Minervam Telemachumque his verbis alloquitur

νῦν δὴ κάλλιόν ἐστι μεταλλῆσαι καὶ ἐρέσθαι
ξείνους, οἵ τινές εἰσιν, ἐπεὶ τάρπησαν ἐδωδῆς.
ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
ἦ τι κατὰ πρῆξιν ἦ μαψιδίως ἀλάλησθε,
οἷά τε ληϊστῆρες, ὑπεὶρ ἅλα; τοί τ' ἀλ'ωνται
ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες.

Quae verba omnia hic adscripsimus, quibus demonstremus, quale tum fuerit hospitium. Namque luculentissime apparet, ne praedonibus quidem hospitium negatum esse neque incredibile mihi esse videtur, ex advenis quinam essent non quaesitum esse, ne forte se hospitii beneficio indignos praeberent. Nec sceleratis hospitium negatum est: cf. I 478 sqq. Velut Patroclus ipse narrat, se Phthiae a Peleo Achillis patre comiter exceptum esse, cum patre pro matre ultus esset — qua de re copiosius disserendi infra locus erit. Hospitii igitur officium cum omnibus ab omnibus praeberetur, tamen consentaneum est, principum maxime interfuisse, ut summa hac laude florerent. Quae cum ita essent, Telemachus vehementer iratus est, quod peregrinum in foribus stantem vidit cf. α 119 sq

βῆ δ' ἰθὺς προθύροιο, νεμεσσήθη δ' ἐνὶ θυμῷ
ξεῖνον δηθὰ θύρῃσιν ἐφεστάμεν·

Minerva autem et Telemachus cum Pylum venissent, Nestorem eiusque filios cenantes invenerunt: qui quidem statim universi simulac peregrinos viderunt, eos salutaverunt beneque exceperunt cf. γ 34 sq

οἱ δ' ὡς οὖν ξείνους ἴδον, ἀθρόοι ἦλθον ἅπαντες,
χερσίν τ' ἠσπάζοντο, καὶ ἑδριάασθαι ἄνωγον.

Licet fortasse addere verba Echenei senis, qui Alcinoum adhortatus est, ut Ulixem exciperet: negat enim decere, illum in extremo angulo humi sedere cf. η 159 sq

'Αλκίνο', οὐ μέν τοι τόδε κάλλιον, οὐδὲ ἔοικεν,
ξεῖνον μὲν χαμαὶ ἧσθαι ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσιν.

Quin etiam publicis domibus Graeci aetate homerica usi sunt, in quibus hospites excipiebantur. Melantho quidem infamis illa Penelopae serva Ulixi haec dixit σ 327 sqq

ξεῖνε τάλαν, σύ γέ τις φρένας ἐκπεπαταγμένος ἐσσί,
οὐδ' ἐθέλεις εὕδειν χαλκήιον ἐς δόμον ἐλθών
ἠέ που ἐς λέσχην κτλ.

Hospitii autem vincula cum arctissima essent, fieri non potuit, quin summi haberentur. Quo factum est, ut hospitium tamquam hereditate filio obveniret. Velut Z 230 sqq poeta nobis tradit, Diomedem et Glaucum non inter se pugnasse sed arma permutasse, quia patrii hospites fuissent. Diomedes autem ipse ad arma mutanda his verbis excitavit Z 230 sq

τεύχεα δ' ἀλλήλοις ἐπαμείψομεν, ὄφρα καὶ οἵδε
γνῶσιν ὅτι ξεῖνοι πατρώιοι εὐχόμεθ' εἶναι.

Minerva quoque cum Mentem se esse fingeret attulit, se antiquitus Ulixis hospitem esse cf. α 187

ξεῖνοι δ' ἀλλήλων πατρώιοι εὐχόμεθ' εἶναι
ἐξ ἀρχῆς κτλ.

Cum autem qui hospitio erat coniunctus captus esset, ab hospite solvebatur cf. Φ 42

κεῖθεν δὲ ξεῖνός μιν ἐλύσατο, πολλὰ δ' ἔδωκε.

Jam vero addamus, quidnam homines omnino de hospitio

senserint. Supra iam commemoratum est, hospitium ab omnibus summi habitum fuisse. Ex ipsis autem carminibus versus afferri possunt qui probent, peregrinos hospitibus pro beneficio summam rettulisse gratiam. Cuius rei nescio an nullum praeclarius exstet exemplum quam quod nunc afferre mihi liceat. Pisistratus enim Nestoris filius Telemacho media nocte adhortanti, ut itineri sese committant, persuadet, ut maneat Menelaique dona accipiat, quia hospitis hospes semper meminerit. Cf. ο 54 sq

τοῦ γάρ τε ξεῖνος μιμνήσκεται ἤματα πάντα
ἀνδρὸς ξεινοδόκου, ὅς κεν φιλότητα παράσχῃ.

Adde quod commemoratu dignum habebatur, quod hic et illic erant, qui peregrinos neque exciperent neque curarent. Qua de re conferre iuvat verba Minervae, quibus Scheriae Ulixem allocuta est eique suasit, ut cum illis hominibus non commercium haberet, quippe qui hospitibus propitii non essent. Cf. η 32 sq

οὐ γὰρ ξείνους οἵδε μάλ' ἀνθρώπους ἀνέχονται,
οὐδ' ἀγαπαζόμενοι φιλέουσ' ὅς κ' ἄλλοθεν ἔλθῃ.

Ita fit, ut Ulixes cum ad Cyclopum insulam naves appulerit, socios adhortetur, ut maneant, dum ipse exploratum it. Ipsa autem Ulixis verba haec sunt: ι 174 sqq.

— — πειρήσομαι, οἵ τινές εἰσιν,
ἤ ῥ' οἵ γ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι,
ἦε φιλόξεινοι, καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής.

Apparet autem in his verbis eos qui scelera committant et feri iniustique sint iis opponi, qui peregrinos excipiant deosque colant. Quid? nonne Ulixes dicit, se mori malle quam videre, quam turpiter in aedibus suis peregrini tractentur cf. π 106 sqq

βουλοίμην κ' ἐν ἐμοῖσι κατακτάμενος μεγάροισιν
τεθνάμεν ἢ τάδε γ' αἰὲν ἀεικέα ἔργ' ὁράασθαι,
ξείνους τε στυφελιζομένους κτλ.

At illi qui peregrinis favebant ab omnibus laudabantur sibique summam gloriam parabant. Hospites enim laudes eius, a

quo excepti erant, ubique pervulgarunt. Quod Penelopae verba, quae τ 333 sq leguntur clare atque evidenter testantur

τοῦ μέν τε κλέος εὐρὺ διὰ ξεῖνοι φορέουσιν
πάντας ἐπ' ἀνθρώπους, πολλοί τέ μιν ἐσθλὸν ἔειπον.

Nec tamen deest locus homericus, quo probetur, hospitium quoque a nefariis hominibus deos mensamque hospitalem nihil reverentibus violatum esse. Leguntur enim φ 27 sqq haec verba:

ὅς μιν ξεῖνον ἐόντα κατέκτανεν ᾧ ἐνὶ οἴκῳ,
σχέτλιος, οὐδὲ θεῶν ὄπιν ᾐδέσατ', οὐδὲ τράπεζαν,
τὴν δή οἱ παρέθηκεν·

Sed ut hanc de hospitio homerico quaestionem ad finem perducamus, pauca liceat addere. Restat enim, ut videamus, quid ex verbis ad describendum hospitii morem usurpatis concludendum sit. Et ex eo quidem quod ξεῖνος modo eum qui peregrinum excipit modo peregrinum qui excipitur significat, concludi nihil posse manifestum est. Cuius rei exempla afferam verba, quae θ 158 sqq inveniuntur, ubi Euryalus Phaeax Ulixem his verbis alloquitur

οὐ γάρ σ' οὐδέ, ξεῖνε, δαήμονι φωτὶ ἐίσκω

cui Ulixes θ 166 haec respondet

ξεῖν', οὐ καλὸν ἔειπες·

Sed inde aliquid colligendum esse mihi videtur, quod ξεινίζω et φιλέω verba eodem sensu usurpantur. Cuius usus tot exstant exempla, ut facili negotio aptissima eligi possint. Fere eadem sunt verba, quae Γ 232 sq leguntur:

πολλάκι μιν ξείνισσεν ἀρηίφιλος Μενέλαος
οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο

atque verba Ζ 15 scripta

πάντας γὰρ φιλέεσκεν ὁδῷ ἔπι οἰκία ναίων.

Quodsi quis plura huius moris exempla postulat, conferat Γ 207, Ν 627, α 123, δ 29, η 33, θ 42, μ 450, ν 206, ξ 128, 322, ο 201, 281, 305, 543, ρ 56, 111, τ 195, ω 272. Unde factum est, ut φιλότης eadem significatione usurparetur atque

ξεινοσύνη. Hoc enim sensu Penelopae verba ρ 163 sqq accipienda esse videntur, ubi Theoclymeno vaticinanti haec dicit:

αἲ γὰρ τοῦτο, ξεῖνε, ἔπος τετελεσμένον εἴη·
τῷ κε τάχα γνοίης φιλότητά τε πολλά τε δῶρα
ἐξ ἐμεῦ κτλ.

Neque enim quidquam aliud his verbis Penelope dictura est nisi hoc: tu cognosces hospitalitatem meam. Cf. Γ 354, ο 55, 197.

Iam vero videamus quaenam hoc in hospitii more iuris gentium vestigia sint. Ac primum quidem apparere mihi videtur, quam arcta hospitii vincula fuerint. Quae vincula non solum eiusdem gentis homines coniunxerunt sed etiam toti populi illo hospitii more usi sunt, ita ut feri agrestesque haberentur, qui hospitium respuebant. Tum vero unusquisque intellegit, hospitio illo proficiscentibus itinera patefacta esse: nam cum iniustum nefariumque haberetur, peregrinum laedere, omnibus periculis sublatis homines tum proficiscebantur. Quo hospitii instituto non solum utebantur propterea quod deos eorumque iram timebant sed etiam propterea quod ius more receptum esse iis videbatur. Luculentissime enim hoc probari potest Λ. 779

ξείνιά τ' εὖ παρέθηκεν, ἅ τε ξείνοις θέμις ἐστίν.

quocum loco verba conferre iuvat, quae ι 268 inveniuntur

δοίης δωτίνην, ἥ τε ξείνων θέμις ἐστίν.

Hoc autem modo haec verba explicanda esse NITZSCHIUS docet adnotans ad γ 45: „Die Formel wird in dem Umfange gebraucht, in welchem der homerischen Welt das Gebürliche erscheint. Darein ist nebst dem durch Sitte und Herkommen Geheiligten, zum Gesetz Gewordenen, und dem Billigen, auch das mit begriffen, was der Gang der Natur mit sich bringt. Jedoch wird θέμις nie ohne das begleitende Gefühl der Billigung gesagt, da δίκη auch die blosse, wenn auch tadelhafte, Gewohnheit, das eben nur Bestehende ausdrückt: IV, 691, XI, 218." Erat igitur hospitibus ius quoddam iam aetate heroica vel

homerica: adde quod peregrinus ab hospite postulabat, ut exciperetur: quibus de locis supra iam dictum est. Ex iis autem quae exposuimus apparere videtur, ius hospitii fuisse idque diligentissime observatum esse.

Hospitum vero iuri simillimum erat ius supplicum et mendicorum. Supplices enim ab omnibus excipiebantur etiamsi summa scelera commiserant. Sed ut exempla afferamus, quis est quin sciat, Theoclymenum a Telemacho bene exceptum esse, quamvis virum necasset. Cf. ο 280 sqq

οὐ μὲν δή σ' ἐθέλοντά γ' ἀπώσω νηὸς ἐίσης,
ἀλλ' ἕπευ· αὐτὰρ κεῖθι φιλήσεαι, οἷά κ' ἔχωμεν.

Deinceps quis est cui non in mentem veniat suavissimus ille Odysseae locus, ubi Ulixes Nausicaam precibus adit et virgo illa quamvis omnibus suis ancillis fugientibus bene peregrinum excipit cf. ζ 127 sqq. Maxime autem Nausicaae verba respicienda sunt, quae ancillis ζ 206 sq dicit

ἀλλ' ὅδε τις δύστηνος ἀλώμενος ἐνθάδ' ἱκάνει,
τὸν νῦν χρὴ κομέειν· πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
ξεῖνοί τε πτωχοί τε, δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε.

Aliud afferamus exemplum. Iris enim a Iove missa Priamo promittit, fore ut Achilles supplici haud dubie parcat. Cf. Ω 158

ἀλλὰ μάλ' ἐνδυκέως ἱκέτεω πεφιδήσεται ἀνδρός.

Fortasse hic commemorare licet, Ulixem quoque Phemio supplici pepercisse cf. χ 330 sqq. Neque omittamus Lycaonem iura supplicis ab Achille petere, quippe qui aliquando eius hospitio usus sit cf. Φ 75 sq

ἀντί τοί εἰμ' ἱκέταο, διοτρεφές, αἰδοίοιο.
πὰρ γὰρ σοὶ πρώτῳ πασάμην κτλ.

De Chryse autem, qui ad Agamemnonem supplex venerat, infra dicendi locus erit, cum de sacerdotum condicione agamus. Apparet igitur supplicem iure suo defendi: quod quidem ius supplicis maxime bello cernitur ideoque alio loco tractandum erit. Nec non mendici iure gentium utebantur. Qui quidem

mendici item atque hospites in Iovis tutela esse dicebantur. Cuius rei documento sint notissima illa verba: cf. ζ 207 sq, ξ 57 sq

πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
ξεῖνοί τε πτωχοί τε κτλ.

Qui mos hospitii etiam mendicis allati non eo tollitur, quod Ulixes mendicum simulans a procis ludibrio habetur. Quis enim est qui infitietur, nostris quoque temporibus a superbis hominibus mendicos passim pessime tractari. Quid igitur mirum quod illi superbi proci mendico non pepercerunt? cf. σ 1 sqq.

Sed iam transeamus ad alia iuris gentium vestigia indaganda. Et in simili quidem honore atque peregrini erant sacerdotes, quos laedere nefas esse putabatur. Quo loco ipsum initium Iliadis unicuique in mentem venire arbitror, quod optimum huius rei documentum praebet. Notissimum enim est, Agamemnonem Chrysae Apollinis sacerdotis filiam cepisse. Quam cum pater repeteret ob eamque causam in castra Graecorum venisset, Agamemno negavit, se eam redditurum esse. Quid? quod Agamemno tanta erat animi atrocitate, ut gravissimis minis Chrysen insequeretur. Ex iis autem verbis, quibus Agamemnonem utentem poeta facit, concludi potest, sacerdotes ipso munere quo fungebantur sacrosanctos fuisse. Dicit enim Agamemno A 26 sqq

μή σε, γέρον, κοίλῃσιν ἐγὼ παρὰ νηυσὶ κιχείω
ἢ νῦν δηθύνοντ' ἢ ὕστερον αὖτις ἰόντα,
μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο.

Iam videamus quid ex his verbis concludendum sit. Ac primum quidem neminem fugit, haec verba ab Agamemnone summa ira commoto prolata esse. Deinde autem apparet, sacerdotes sceptro et infula ab iniuriis defensos esse. Erat igitur iam tum more receptum, ut sacerdotes ipso sacerdotio defenderentur. Quem morem etiamnunc vigere nemo est quin sciat. Jam dictum est, infula et sceptro sacerdotes sese defensos habuisse. Ita fit, ut omnes Graeci ab Agamemnone petant, ut

Chrysen, quem filiam petitum in Graecorum castra venisse commemoravimus, revereatur, cf. A 376 sq

ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν 'Αχαιοί
αἰδεῖσθαί θ' ἱερῆα καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα.

Ceterum de sacerdotibus homericis pauca tantum dicenda sunt, propeterea quod sacerdotum raro fit mentio. Rari autem illo ipso tempore sacerdotes erant, quoniam reges sacerdotum muneribus publicis fungebantur et patresfamilias sacra in domibus suis curabant. Sed animadvertendum est, poetam I 574 sqq narrare, non solum senes Aetolicos Meleagrum rogasse, verum etiam optimos deorum sacerdotes missos esse:

πέμπον δὲ θεῶν ἱερῆας ἀρίστους.

Videmus autem hoc loco ex eo quod sacerdotes missi sunt, posteaquam iam senes ad eum sese contulerunt, sacerdotes maiore floruisse auctoritate quam senes. Tamen ex sacerdotibus primi tantum electi sunt vel, ut Faesii interpretationem huius verbi adhibeam: „die durch ihren Stand und ihre Persönlichkeit angesehensten.“ Adde quod Onetor quoque a populo tamquam deus cultus esse dicitur. Cf. Π 604 sq

Λαόγονον θρασὺν υἱὸν 'Ονήτορος, ὃς Διὸς ἱρεὺς
'Ιδαίου ἐτέτυκτο, θεὸς δ' ὣς τίετο δήμῳ.[1]

---

[1] Quo quidem loeo quaeritur, utrum periodus relativa ad prius an ad posterius substantivum referenda sit. Equidem nego, Faesium sequendum esse adnotantem: „ὃς Διὸς ἱρεὺς ἐτέτυκτο geht wohl auf Laogonos, als die Hauptperson.“ Nec enim solum nulla causa est, cur ad Laogonum illam periodum referamus sed multo facilius cum Onetor voce periodus relativa coniungitur. Quid? quod Laogonus bellator ille fortissimus melius filius sacerdotis quam ipse sacerdos appellatur, quia non credibile est, sacerdotes ipsos pugnis interfuisse. Quo loco commemorandum est, Strabonem quoque p. 413 C. (= Θ 36 Meineke) sacerdotibus militiae vacationem tribuere: verba enim haec leguntur; διὰ τοῦτο δ' ἴσως οὐδ' ἐν τῷ καταλόγῳ μέμνηται τῶν ἐνταῦθα ἀνδρῶν, ἐπειδὴ ἱεροὶ ὄντες παρεῖντο τῆς στρατείας. Sed utut res sese habet (neque enim magni momenti est, utrum illam periodum relativam ad Laogonem an ad Onetorem referamus) illud negari nequit sacerdotem tamquam deum cultum esse dici.

Iam aliud afferamus exemplum. Ulixes enim cum in procos illum impetum faceret, Liodes ab eo petivit, ut sibi parceret: quam precem ut firmaret ad dignitatem suam provocavit. Dixit enim χ 318 sq

> αὐτὰρ ἐγὼ μετὰ τοῖσι θυοσκόος οὐδὲν ἐοργὼς
> κείσομαι, ὡς οὐκ ἔστι χάρις μετόπισθ' εὐεργέων.

Ulixes vero quod ei non pepercit eo explicatur, quod hic vir quamvis auspex unus ex Penelopae procis erat. Sed ex hoc Odysseae loco aliud quid concludendum est. Namque apparet, Lioden auspicem in nobilibus numerandum esse, quippe qui Penelopen petierit. Attamen Helbigius in libro de rebus homericis scripto p. 17 summo iure adnotat, sacerdotum imperium — quod facile potes suspicari — illis temporibus nullum fuisse. Sed nimium Helbigius conclusisse mihi videtur, dicens, quam parum principes sacerdotes curaverint, ex eo apparere quod Agamemno Calchantem vehementissime reiecerit. Unde me quidem iudice vix quidquam concludi potest: Agamemno enim tantopere ira commotus est, ut magnum momentum ipsius verbis tribuere vix ausim. Illam autem quaestionem perdifficilem, quam de sacerdotum potentia qualis iam ante tempora homerica viguerit habent, hic omittamus, cum ad nostrum propositum vix quidquam profici possit, si quidem omnino in hac quaestione quid profici potest. Sed hanc quaestionem de sacerdotibus habitam ad finem perducamus. Quaenam igitur in sacerdotum rebus vestigia iuris gentium erant? Negari nequit sacerdotem suo ipso munere ab iniuriis defendi: ergo apparet, sacerdotes sacrosanctos habitos esse.

Jam vero ad ea iuris gentium vestigia transeamus, quae in rebus forensibus cernuntur. Ac primum quidem de caede et homicidis agamus. Caedium autem multa exempla in carminibus homericis exstant. Si quis interfectus erat, ab eo qui caedem commiserat aut ab eius cognatis pecunia postulabatur.

Velut N 658 sq Pylaemenes urget, quod pro filio interfecto pecuniam non accepit:

μετὰ δέ σφι πατὴρ κίε δάκρυα λείβων,
ποινὴ δ' οὔ τις παιδὸς ἐγίγνετο τεθνηῶτος.

Quibus ex verbis luculenter apparet, damnum resarciri potuisse. Quodsi quaerimus quanam re cognatis interfecti hominis satisfactum sit, videmus, illos cognatos mortui poenas persecutos esse. Namque omnibus locis, quibus interfecisse quisquam narratur, is qui caedem perpetravit, fugisse dicitur. Primum locum afferamus, ex ea parte libri B sumptum quae navium catalogus appellari solet: ubi v. 661 sqq haec verba leguntur:

Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ οὖν τράφη ἐν μεγάρῳ εὐπήκτῳ,
αὐτίκα πατρὸς ἑοῖο φίλον μήτρωα κατέκτα,
ἤδη γηράσκοντα Λικύμνιον, ὄζον Ἄρηος.
— — — — — — — — —
βῆ φεύγων ἐπὶ πόντον· ἀπείλησαν γάρ οἱ ἄλλοι
υἱέες υἱωνοί τε βίης Ἡρακληείης.

Alia exempla ex locis de quibus nemo est qui dubitet, sumptis haec fere sunt: N 695 sq haec verba inveniuntur:

(Μέδων) αὐτὰρ ἔναιεν
ἐν Φυλάκῃ, γαίης ἄπο πατρίδος, ἄνδρα κατακτάς

qui quidem locus etiam O 334 sq legitur. Porro Π 571 sqq poeta tradit, Epigeum cum cognatum interfecisset ad Peleum Thetinque supplicem venisse ab iisque exceptum esse:

δῖος Ἐπειγεύς,
ὅς ῥ' ἐν Βουδείῳ εὐναιομένῳ ἤνασσεν
τὸ πρίν· ἀτὰρ τότε γ' ἐσθλὸν ἀνεψιὸν ἐξεναρίξας
ἐς Πηλῆ' ἱκέτευσε καὶ ἐς Θέτιν ἀργυρόπεζαν.

Notissimus autem ille locus est, ubi Patrocli anima dicere fingitur, Patroclum puerum caede commissa quondam a Peleo exceptum esse. Cf. Ψ 85 sqq

εὖτέ με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
ἤγαγεν ὑμέτερόνδ' ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς,
ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
νήπιος, οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Alia quoque exempla afferre longum esse mihi videtur: cf. ξ 379, ο 224. Nonne ex iis quae attuli exemplis apparet, homicidas in exilium ivisse. Quod si quaerimus, cur in exilium iverint, ex versibus qui ψ 118 sqq leguntur, apparet, auctorem necis eo consilio e patria egressum esse, ut interfecti cognatorum ultionem vitaret:

καὶ γάρ τις θ' ἕνα φῶτα κατακτείνας ἐνὶ δήμῳ,
ᾧ μὴ πολλοὶ ἔωσιν ἀοσσητῆρες ὀπίσσω,
φεύγει πηούς τε προλιπὼν καὶ πατρίδα γαῖαν.

Sed haec ultio pretio quodam soluta esse Σ 498 sq probatur: verba enim haec sunt:

δύο δ' ἄνδρες ἐνείκεον εἵνεκα ποινῆς
ἀνδρὸς ἀποφθιμένου.

Ad explicandos hos versus adiciendum est, ex proximis verbis demonstrari, de eo agi, quod alter negat, se illud pretium iam accepisse, alter se solvisse dicit. Nec tamen omittamus illis temporibus more receptum fuisse, ut caedes caede et sanguis sanguine expiaretur. Quem morem verba testantur quae Ξ 483 sqq leguntur:

ἵνα μή τι κασιγνήτοιό γε ποινὴ
δηρὸν ἄτιτος ἔῃ. τῷ καί κέ τις εὔχεται ἀνὴρ
γνωτὸν ἐνὶ μεγάροισιν ἀρῆς ἀλκτῆρα λιπέσθαι.

Tanta igitur iis hominibus ultionis cura erat, ut unusquisque cuperet, domi ultorem relinquere. Simillime autem ποινή substantivum invenitur Π 398, ubi de Patroclo haec dicuntur:

κτεῖνε μεταΐσσων, πολέων δ' ἀπετίνυτο ποινήν

quae verba Faesius bene in hunc modum interpretari mihi videtur: „er schaffte sich Sühne für Viele.“ Adde quod ex

verbis quae I 632 sqq leguntur, apparet, poena soluta eum qui caedem commiserit, domi mansisse. Scripta autem haec sunt:

καὶ μέν τίς τε κασιγνήτοιο φονῆος
ποινὴν ἢ οὗ παιδὸς ἐδέξατο τεθνηῶτος·
καί ῥ' ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ πόλλ' ἀποτίσας,
τοῦ δέ τ' ἐρητύεται κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
ποινὴν δεξαμένου.

Quid multa? Videamus, quaenam iuris gentium vestigia hic appareant. Et in eo quidem quod poena soluta satis factum erat, non tam iuris gentium quam omnino iuris vestigia cernuntur. Negari enim nequit ibi ius magni habitum esse, ubi caedes sive consulto ac cogitate sive temere ac fortuito commissa lui potuit. Sed inde ad nostrum propositum aliquid colligendum esse credo, quod omnes illi qui supra commemorati sunt, ubi primum in alienam terram fugerunt, abiecta omni cunctatione excepti sunt. Quid? quod Ulixes ν 259 sqq finxit, se Orsilochum insidiis interfecisse, haud timens, ne Minerva, quam non agnoverat, sese averteret. Erat enim — ut NAEGELSBACHI (theol. hom. p. 293) verbis utar — summa illorum antiquorum temporum simplicitas. Iam vero ad quaestionem perdifficilem transeamus. Quaeritur enim hoc loco quaenam omnino gentium condicio illis temporibus fuerit. Et NAEGELSBACHIUS quidem (theol. hom. p. 294) censet, omnem populum hostem eius populi fuisse, quocum non pactis coniunctus esset: cui C. Fr. HERMANNUS in libro suo „Lehrbuch der griechischen Antiquitäten" I[4] p. 38 assentitur. At SCHOEMANNUS Griech. Alterth. vol. 1 p. 46 sq) negat, gentes inter se nulla causa bellasse. Videamus iam quemnam sequamur. Notissimum ac iam supra commemoratum est, advenas interrogatos esse, utrum mercatores an praedones essent. Iam Thucydides 1, 5 haec verba habet: καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν ποιητῶν τὰς πίστεις τῶν καταπλεόντων πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες, εἰ λῃσταί εἰσιν, ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τε ἐπιμελὲς εἴη

εἰδέναι οὐκ ὀνειδιζόντων. Cui iam Aristarchus (notissimus ille grammaticus) oblocutus est. Leguntur enim in scholio ad γ 71 haec verba: καθάπτεται δὲ καὶ Θουκυδίδου Ἀρίσταρχος λέγοντος ὡς οὐκ αἰσχρὸν ἡγοῦντο τὸ λῃίζεσθαι οἱ παλαιοί, ἐν οἷς φησίν· "οὕς μοι ληίσσατο δῖος Ὀδυσσεύς". Nec vero parvi momenti ad hanc rem explicandam est versus ξ 262 interpretatio. Ibi enim de Ulixis sociis dicitur, qui ducis praecepta spreverunt et in Aegyptios impetum fecerunt. Scripta enim haec sunt:

ἔνθ' ἤτοι μὲν ἐγὼ κελόμην ἐρίηρας ἑταίρους
αὐτοῦ πὰρ νήεσσι μένειν καὶ νῆας ἔρυσθαι,
ὀπτῆρας δὲ κατὰ σκοπιὰς ὤτρυνα νέεσθαι·
οἱ δ' ὕβρει εἴξαντες, ἐπισπόμενοι μένεϊ σφῷ,
αἶψα μάλ' Αἰγυπτίων ἀνδρῶν περικαλλέας ἀγρούς,
πόρθεον κτλ.

Quibus in verbis Naegelsbachius l. l. p. 295 ὕβρις vocem ita interpretatur, ut iniuriam duci allatam significet, Schoemannus autem Griech. Alterth. vol. 1 p. 47 concludit, illum Cretensem — qui haec verba dicere fingitur — praedas facere omnino iniuriam habuisse. Utri sententiae maior probabilitas tribuenda sit, iam nostrum est videre. In Duncani lexico homerico a Rostio edito illa verba in hunc modum explicantur: „οἱ δ' ὕβρει εἴξαντες ἐπισπόμενοι μένεϊ σφῷ ξ 262 (=ρ 431) hi vero iniuriae suae locum dantes et obsequentes libidini suae, die ihrem Triebe zur Ungerechtigkeit Platz gaben und ihrem Muthwillen folgten." Quae quidem iniuria non tam duci quam diis illata est. Ille enim vir Cretensis, quem Ulixes se esse simulat cuiusque verba ξ 262 afferuntur, dicit, socios suos iniuriam fecisse eo quod Aegyptiorum agros vastassent. Iam vero Autenriethius in Naegelsbachi libro de theol. hom. scripto negat, dici posse aliam iniuriam quam duci allatam quod Cretenses illi propterea tantum ad Aegyptum naves appulerint, ut agros vastarent hominesque caperent. „Eine Kauffartheiflotte," inquit Autenriethius, „ist es gewiss nicht, wir erfahren

weder von Fracht (φόρτος) noch von beabsichtigter Rückfracht (ὁδαῖα)." Equidem non video cur naves mercatoriae esse non potuerint. Quum enim commercium inter populos tum esse factum supra demonstratum sit, etiam ξ 246 sqq nihil obstat, quominus illas novem naves mercatorias fuisse censeamus. Namque ex eo quod oneris nulla mentio fit, mea quidem sententia non iam concludere licet, illas naves praedonum classem fuisse. Accedit quod v. 259 simillimi versus leguntur ξ 88:

καὶ μὲν τοῖς ὄπιδος κρατερὸν δέος ἐν φρεσὶ πίπτει

ὄπις autem substantivum vindicias divinas significat. Qua de re conferenda sunt verba Nitzschi qui ad ε 146 haec ad notat: „ὄπις welches in der ältern Sprache die Strafaufsicht, die zuschauende Hut der Götter bezeichnet (ξ 82)." Haec autem sententia eo confirmatur, quod saepissime verba ὄπις θεῶν coniuncta inveniuntur cf. υ 215, φ 28. Quae cum ita sint, non mihi videtur ὕβρις iniuria duci illata sed insolentia esse, quam dii ipsi eo puniverunt, quod Aegyptii superiores discesserunt. Ergo concludere nobis licet — si quidem e talibus versibus quid magni momenti concludendum est — iam illis antiquissimis temporibus nefas habitum esse, alium temere laedere. Attamen concedendum est, temporibus homericis rapinas factas esse. Quod me quidem iudice non α 397 sq probatur, ubi Telemachus haec protulit:

αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο
καὶ δμώων, οὕς μοι ληίσσατο δῖος 'Οδυσσεύς.

Hoc enim loco nemo probaturus esse videtur, illos servos non iusto bello captos esse: hoc autem bello Troiano saepe factum esse infra exponam. Nec altero loco Nitzschio assentior. Ulixes enim ψ 357 sq uxori dicens, se id acturum esse, ut amissa reficerentur, his usus est verbis:

πολλὰ μὲν αὐτὸς ἐγὼ ληίσσομαι, ἄλλα δ' 'Αχαιοί
δώσουσ', εἰς ὅ κε πάντας ἐνιπλήσωσιν ἐπαύλους.

Quis tandem sibi fingere potest, Ulixem talem fuisse virum, ut a praedone fere nihil differret? Potestne credi, Ulixem libere profiteri, se multa esse correpturum? Haec autem sententia minime ferenda est: sed ita haec verba explicanda esse videntur, ut Ulixes speret, fore ut bello magnam praedam esse facturum. Omittenda igitur est illa verborum interpretatio secundum quam Ulixes non dux sed praedo fuisse videtur. Nec Nitzschi sententia de Ulixe praedone iis confirmatur, quae φ 38 sqq leguntur:

τὸ (τόξον) δ' οὔ ποτε δῖος 'Οδυσσεύς
ἐρχόμενος πόλεμόνδε μελαινάων ἐπὶ νηῶν
ᾑρεῖτ' κτλ.

Sane quidem hoc loco Nitzschi verba respicienda sunt, qui ad α 397 haec habet: „Dass Odysseus vor dem troischen Zuge solche Einfälle öfter unternahm, liegt offenbar in XXI, 38—41, wo οὔποτε ᾑρεῖτο und alle übrigen Formen auf öftere Wiederholung hinweisen, am allerwenigsten aber erlauben, allein an das Zurücklassen des Bogens beim Zuge nach Troia zu denken.“ Esto! plures expeditiones usurpato tempore imperfecto indicantur: nemo tamen probare potest, illas expeditiones tantum praedandi causa factas esse. At mihi opponi potest, Ulixem ι 39 sqq temere Ciconum urbem perdere. Hoc autem loco nec verum est nec potest probari quod Nitzschius dicit: „wie lustig Odysseus zu Küstenräuberei war, zeigt der Anfall auf die Kikonen deutlich genug IX, 40.“ Vide enim quam bene iam rerum conexum intellexerit, qui navium catalogum composuit. Ibi enim Cicones in iis numerati sunt, qui a Troianorum partibus stabant: cf. B 846

Εὔφημος δ' ἀρχὸς Κικόνων ἦν αἰχμητάων.

Cum igitur Cicones Graecorum adversarii essent, Ulixes cum ad eorum terram naves appulisset, in urbem statim impetum fecit: qua expugnata magnam praedam esse factam consen-

taneum est. Quae cum ita sint, negandum eat, Ulixem temere Ciconum urbem cepisse.

Transeamus iam ad alteram partem disputationis de iure gentium homerico institutae ac de vestigiis agamus, quae in bello cernuntur. Ac primum quidem quaeramus necesse est, quaenam omnino aetate homerica causae fuerint, cur bella orerentur. Apparet autem, illis temporibus plurima bella gesta esse, propterea quod pecora aut ipsi homines rapiebantur. Jam Thucydides loco illo praefationis, cuius saepe iam mentio facta est, haec verba habet (1, 5): οἱ γὰρ Ἕλληνες τὸ πάλαι, καὶ τῶν βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐπειδὴ ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους, ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγουμένων ἀνδρῶν οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς, καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις ἥρπαζον καὶ τὸν πλεῖστον τοῦ βίου ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο, οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. Quae quidem verba Thucydidis quam vera sint meum erit demonstrare. Ut ab iis locis incipiam, quibus pecora rapta esse demonstrantur, Achillis verba prima afferenda sunt, quae A 152 sqq leguntur:

> οὐ γὰρ ἐγὼ Τρώων ἕνεκ' ἤλυθον αἰχμητάων
> δεῦρο μαχησόμενος, ἐπεὶ οὔ τί μοι αἴτιοί εἰσιν·
> οὐ γάρ πώ ποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους,
> οὐδέ ποτ' ἐν Φθίῃ ἐριβώλακι βωτιανείρῃ
> καρπὸν ἐδηλήσαντ' κτλ.

Quibus ex verbis haud dubie concludendum est, illis temporibus bella tantum praedae faciundae vel ulciscendi causa gesta esse. Equidem hac in re prorsus Naegelsbachio assentior, qui ad l. l. haec adnotat (cf. adnot. ad Il. p. 71): „Die Kriege der Heroenzeit sind wie wir auch aus diesen Versen ersehen nicht von politischer Bedeutung, nicht Eroberungskriege, nicht Kämpfe um Hegemonie u. dergl. sondern Raub- und Rache-

kriege." Adde quod Nestor gloriatus est, quod ipse iuvenis magnam praedam fecisset. Dicit enim Λ 677 sqq haec:

ληίδα δ' ἐκ πεδίου συνελάσσαμεν ἤλιθα πολλήν,
πεντήκοντα βοῶν ἀγέλας, τόσα πώεα οἰῶν,
τόσσα συῶν συβόσια, τόσ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν,
ἵππους δὲ ξανθὰς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα,
πάσας θηλείας, πολλῇσι δὲ πῶλοι ὑπῆσαν.

Et paullo infra addit, quantopere Neleus gavisus sit, quod Nestori inveni iam res bene caderent, cf. Λ 683 sqq. Ulixes autem cum umbras interrogaret, ex Agamemnone quaesivit, utrum pecora rapiens an urbem defendens interfectus esset. Leguntur enim λ 401 sqq haec verba:

ἦέ σ' ἀνάρσιοι ἄνδρες ἐδηλήσαντ' ἐπὶ χέρσου
βοῦς περιταμνόμενον ἠδ' οἰῶν πώεα καλά,
ἠὲ περὶ πτόλιος μαχεούμενον ἠδὲ γυναικῶν.[1]

Nec non more receptum erat, ut illis temporibus homericis non solum urbes peterentur, verum etiam homines caperentur. Qua de re verba conferenda sunt, quae ρ 432 sqq leguntur:

---

[1] In ultimo versu — ut hoc addam — Fr. Aug. Wolfius accusativum singularis numeri μαχεούμενον in nominativum pluralis numeri μαχεούμενοι mutavit. Qua quidem mutatione quamvis lenissima me iudice omnino non opus est. Nam primum quidem si libros sequimur ἦέ et ἤ particulis περιταμνόμενον optime μαχεούμενον voci opponitur: tum vero si Wolfium sequimur ἀνάρσιοι ἄνδρες et μαχεούμενοι sibi opponuntur, quamquam fere idem sunt. Nec altero loco, quem ille vir doctissimus contulit, μαχεούμενοι legendum esse probatur. Scripta enim sunt ω 113 sqq haec fere verba:

ἦ που ἀνάρσιοι ἄνδρες ἐδηλήσαντ' ἐπὶ χέρσου
βοῦς περιταμνομένους ἠδ' οἰῶν πώεα καλά,
ἠὲ περὶ πτόλιος μαχεούμενοι ἠδὲ γυναικῶν:

Namque hos versus paucis verbis mutatis — vides σέ pronomen in που mutatum esse et pro περιταμνόμενον singulari περιταμνομένους pluralis numeri accusativum scriptum esse — ex priore illo loco λ 401 sqq sumptos esse consentaneum est. Quod quomodo factum sit, non est cur exponam.

αἶψα μάλ' Αἰγυπτίων ἀνδρῶν περικαλλέας ἀγρούς
πόρθεον, ἐκ δὲ γυναῖκας ἄγον καὶ νήπια τέκνα
αὐτούς τ' ἔκτεινον·

Ex his autem versibus apparet, viros urbe expugnata necatos, feminas autem captas esse. Illae autem feminae captae in servitutem redactae sunt: cuius rei documento sint verba, quae Σ 28 sq leguntur:

δμωαὶ δ', ἃς 'Αχιλεὺς ληίσσατο Πάτροκλός τε,
θυμὸν ἀκηχέμεναι μεγάλ' ἴαχον κτλ.

Cum igitur hae essent causae bellorum gerendorum — nec silentio praetermittam, bellum quod dicitur Troianum ob feminam raptam gestum esse — non incredibile esse videtur, tum bella cruentissima fuisse omniaque vestigia iuris gentium deleta esse. Sed cum res accuratius contemplemur, manifestum erit, iam tum homines hominibus in ipsa acie pepercisse: cuius moris exempla multa in carminibus homericis inveniuntur. Neque enim solum more receptum erat, ut milites vivi caperentur sed etiam interfectorum corpora ad sepeliendum pecunia soluta reddita sunt. Quae quidem sententia quam vera sit haud difficile est demonstratu. Ac primum quidem multis locis servi commemorantur, qui bello capti sunt. Quam rem Achillis verba testantur, quae Φ 102 leguntur:

καὶ πολλοὺς ζωοὺς ἕλον ἠδ' ἐπέρασσα.

Adde quod Hecuba de Achille dicit Ω 751 sq

ἄλλους μὲν γὰρ παῖδας ἐμοὺς πόδας ὠκὺς 'Αχιλλεύς
πέρνασχ', ὅν τιν' ἕλεσκε.

Nec vero omittamus in carminibus homericis nusquam δοῦλον servum dici sed semper δμῶς vocem usurpari: δούλη autem vox etiam in carminibus homericis legitur. Jam vero cum constet, δμῶς vocem ab eadem radice δαμ. originem petere qua δαμάω verbum derivatur (cf. Curtius, Grundzüge der gr. Etym. p. 218, Buechsenschuetz, Besitz und Erwerb p. 104) δμῶς vox aliter accipi non potest, nisi ita ut victum significet.

Videmus igitur victis hominibus etiam tum victores pepercerint necesse esse. Jam vero ex omnibus locis quos statim allaturus sum, apparet, victores victis non pepercisse. Cum autem saepe videamus, milites supplices vitam petiisse, non inusitatum fuisse videtur, victis vitam dare. Velut Z 37 sqq narratur, Adrastus a Menelao vivus captus esse, qui statim Menelai genua amplexus haec protulit verba

ζώγρει, Ἀτρέος υἱέ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα.

Quae quidem Adrasti promissa Menelaus non respuit, sed iam servum eum in castra ducere iussit, cum Agamemno imperaret, ut ille interficeretur. Item Pisandrus et Arsilochus ab Agamemnone petierunt, ut ipsis parceret cf. Λ 131 sqq

ζώγρει, Ἀτρέος υἱέ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα.
πολλὰ δ' ἐν Ἀντιμάχοιο δόμοις κειμήλια κεῖται,
χαλκός τε χρυσός τε πολυκμητός τε σίδηρος,
τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα
εἰ νῶι ζωοὺς πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Lycaon quoque cum Achilles persequeretur, secum cogitavit, nonne eius genua amplexus vitam sibi peteret, cf. Φ 65 sq

γούνων ἅψασθαι μεμαώς κτλ.

In verbis autem quibus Achilles respondet, haec commemoratu dignissima leguntur; ille enim dicit, se multos Troianos vivos cepisse et vendidisse cf. Φ 102

καὶ πολλοὺς ζωοὺς ἕλον ἠδ' ἐπέρασσα.

Etiam Priamus filios redempturus erat, si quidem superstites essent cf. X 49 sq

ἀλλ' εἰ μὲν ζώουσι μετὰ στρατῷ ἦ τ' ἂν ἔπειτα
χαλκοῦ τε χρυσοῦ τ' ἀπολυσόμεθ'.

Quin etiam Dolon qui speculandi causa multa nocte castra Graecorum petens a Diomede et Ulixe captus est, speravit, se ab illis pretio soluto dimissum iri. Ipsa Dolonis verba haec sunt K 378 sqq

ζωγρεῖτ', αὐτὰρ ἐγὼν ἐμὲ λύσομαι· ἔστι γὰρ ἔνδον
χαλκός τε χρυσός τε πολύκμητός τε σίδηρος,
τῶν κ' ὔμμιν χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα
εἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Nec silentio praetermittendum est, militem saucium petiisse, ut victor corpori suo parceret. Cuius moris exemplum Hectoris ipsius verba praebent, quae X 338 sqq leguntur:

λίσσομ' ὑπὲρ ψυχῆς καὶ γούνων σῶν τε τοκήων,
μή με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν
ἀλλὰ σὺ μὲν χαλκόν τε ἅλις χρυσόν τε δέδεξο.

Idemque Hector alia data occasione H 77 sqq condiciones declarans quibus ad pugnam cum Menelao ineundam paratus esset, proposuit, cadaver ab Achaeis Troianis reddi. Verba autem haec sunt:

εἰ μέν κεν ἐμὲ κεῖνος ἕλῃ ταναήκει χαλκῷ,
τεύχεα συλήσας φερέτω κοίλας ἐπὶ νῆας,
σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν, ὄφρα πυρός με
Τρῶες καὶ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα.

Hector vero cum ab Achille interfectus esset, Priamus ad illum sese contulit, ut cadaver mortui filii redimeret. Quis enim est, qui nesciat, in fine totius Iliadis de his rebus agi, quis est cui non in mentem veniat, Priamum a Mercurio ipso ad Achillem ductum esse? Hic autem Thetidis deae iussu opus erat, quo demum Achilles commotus est, ut Hectoris cadaver redderet, cf. Ω 137, ubi Thetis ipsa dicit:

ἀλλ' ἄγε δὴ λῦσον, νεκροῖο δὲ δέξαι ἄποινα.

Notum autem est, Achillem vehementer optasse, ut Hectoris cadaver laederetur et in carminibus homericis tradi, quam male Achilles Hectoris cadaver tractaverit, cf. Ω 17 sqq. Captivos autem redimi potuisse ex verbis de Lycaone ab Achille capto dictis apparet cf. Φ 40 sqq

Λῆμνον ἐυκτιμένην ἐπέρασσεν
νηυσὶν ἄγων, ἀτὰρ υἱὸς Ἰήσονος ὦνον ἔδωκεν·
κεῖθεν δὲ ξεῖνός μιν ἐλύσατο κτλ.

Nec captae feminae aliter ac viri tractabantur. Servae enim factae labores suscipere coactae sunt, nisi forte haec vel illa apud dominum gratiam iniit eiusque pellex facta est. Sed eodem modo quo nobiles viros captos redemptos esse exposuimus, etiam feminae servitute liberatae sunt. Quis enim est cui non in mentem veniat, Chrysen statim initio Iliadis venientem fingi, filiam ab Agamemnone captam petitum: nec pauca dona attulisse videtur, cum A 13 haec verba scripta sint:

λυσόμενός τε θύγατρα φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα

et paullo post Chryses ipse dicat:

παῖδα δ' ἐμοὶ λῦσαί τε φίλην τά τ' ἄποινα δέχεσθαι.

Hic quaeritur num quid ex peste ab Apolline propter repudiatas sacerdotis preces immissa concludendum sit. Sed ex omnibus locis elucet, Apollinem non tam supplicem quam sacerdotem ipsi carissimum honoraturum fuisse. Quam sententiam si exemplis probaturus es, aptiora inveniri vix possunt, quam quae nunc affere mihi liceat. Dicit enim Chryses ipse A 454:

τίμησας μὲν ἐμέ.

Nec Calchas aliam pestis immissae causam profert. Cf. A 94 sqq

ἀλλ' ἕνεκ' ἀρητῆρος, ὃν ἠτίμησ' Ἀγαμέμνων
οὐδ' ἀπέλυσε θύγατρα καὶ οὐκ ἀπεδέξατ' ἄποινα,
τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἑκηβόλος ἠδ' ἔτι δώσει.

Adde quod Achilles Thetidi A 380 sq dicit:

τοῖο (γέροντος) δ' Ἀπόλλων
εὐξαμένου ἤκουσεν, ἐπεὶ μάλα οἱ φίλος ἦεν.

Neque — ut ad captivos redemptos redeam — silentio praetermittenda sunt Andromachae verba, quae Z 426 sq inveniuntur:

τὴν ἐπεὶ ἂρ δεῦρ' ἤγαγ' ἅμ' ἄλλοισι κτεάτεσσιν,
ἄψ ὅ γε τὴν ἀπέλυσε λαβὼν ἀπερείσι' ἄποινα.

Quae cum ita sese haberent, non ea crudelitate Graeci et Troiani tum usi sunt, qua Terpstra in antiquitatibus homericis p. 342 eos nobis descripsit. „Quos vero", inquit Terpstra, „ex hostibus ceciderant, Graeci aut Troiani sepultum honore destitutos κύνεσσιν ut aiebant οἰωνοῖσί τε πᾶσι ἑλώρια τεῦχον. Hanc sibi invicem contumeliam hostes minitabantur, qua maior infligi illis quidem temporibus non poterat". Hic nemo negabit, Terpstram haec quodammodo suo iure dixisse: nec vero ullum rebus accuratius consideratis fugere videtur, illum virum multo plus dixisse. Namque me quidem iudice nonnulli certe loci prorsus aliter explicandi sunt. Statim enim initio Iliadis haec verba leguntur, A 3 sqq

πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
οἰωνοῖσί τε πᾶσι.

His autem ex versibus nihil aliud concludendum est, nisi quod etiam illis temporibus homericis caesi hostes medio in campo iacentes ab avibus canibusque lacerati ac comesi sunt. Respicienda quoque sunt Hectoris verba, qui Π 836 Patroclo minitatur:

σὲ δέ τ' ἐνθάδε γῦπες ἔδονται.

Conferendi sunt etiam versus qui Θ 379 P 127 X 89 ψ 21 leguntur. Cui quidem crudelitati longe maior humanitas opposita erat. Tum enim iam pactis constitutum esse videmus, ut occisorum hostium corpora redderentur tempusque daretur, quo sepeliri poterant. Cuius moris documentum Hectoris verba praebent, qui cum Achille congressurus haec dicit: cf. X 254 sqq

ἀλλ' ἄγε δεῦρο θεοὺς ἐπιδώμεθα· τοὶ γὰρ ἄριστοι
μάρτυροι ἔσσονται καὶ ἐπίσκοποι ἁρμονιάων.

— — — — — — — — —

ἀλλ' ἐπεὶ ἄρ κέ σε συλήσω κλυτὰ τεύχε', Ἀχιλλεῦ,
νεκρὸν Ἀχαιοῖσιν δώσω πάλιν. ὣς δὲ σὺ ῥέζειν.

Quid? quod H 372 sqq Idaeus Troianorum praeco a Priamo ad Agamemnonem missus esse narratur, qui inducias faceret, ut caesis utrimque iusta redderentur. Maxime autem huc Agamemnonis verba spectant: cf. H 408 sqq

ἀμφὶ δὲ νεκροῖσιν κατακαιέμεν οὔ τι μεγαίρω·
οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνηώτων
γίγνετ', ἐπεί κε θάνωσι πυρὸς μειλισσέμεν ὦκα.
ὅρκια δὲ Ζεὺς ἴστω, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης.

Et paullo post haec scripta sunt: 419 sq

Ἀργεῖοι δ' ἑτέρωθεν ἐυσσέλμων ἀπὸ νηῶν
ὠτρύνοντο νέκυς τ' ἀγέμεν, ἕτεροι δὲ μεθ ὕλην.

Apparet igitur ex his locis, more receptum fuisse, ut caesi ad sepeliendum redderentur. Qui quidem mos dubium esse non potest, quin iuris gentium vestigia in se habeat. Neque haec vestigia in eo praetermittenda sunt quod Hectoris quoque corpus a Priamo redemptum est nec Achilles iram suam quemadmodum voluit in illius viri corpus vertit. Quamquam hic animadvertendum est, Achillem Iovis demum iussu commotum esse, ut illud corpus redderet. Legimus enim Ω 113 sqq haec fere verba, quae Iovem Thetidi dicentem poeta finxit:

σκύζεσθαί οἱ εἰπὲ θεούς, ἐμὲ δ' ἔξοχα πάντων
ἀθανάτων κεχολῶσθαι, ὅτι φρεσὶ μαινομένῃσιν
Ἕκτορ' ἔχει παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν οὐδ' ἀπέλυσεν,
αἴ κέν πως ἐμέ τε δείσῃ ἀπό θ' Ἕκτορα λύσῃ.

Ubique autem et pacis et belli temporibus praecones nobis occurrunt, quorum munia tam diversa sunt, ut copiosius de iis disserere non abs re esse videatur. Cum vero de vestigiis iuris gentium, quae in pace cernuntur, agerem, praeconum numquam

mentionem feci, propterea quod in hac altera disputationis parte melius de iis agendum esse videbatur, quippe qui bello maxime probarent, quanti momenti habendi essent. Statim hoc loco libellus commemorandus est, quem Kostka „de praeconibus apud Homerum“ anno 1844 Lyckae edidit. Et de origine quidem praeconum nihil ex eo concludendum est, quod θεῖοι vel δῖοι dicuntur. Velut Δ 192 haec verba leguntur:

καὶ Ταλθύβιον θεῖον κήρυκα προσηύδα

et K 315 υἱὸς κήρυκος θείοιο. Δῖοι quoque appellantur M 343: ibi enim Menestheus Thootam Graecorum praeconem alloquitur δῖε Θοῶτα.

Adde quod διίφιλοι Θ 517 appellantur:

κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ διίφιλοι.

Sed SCHOEMANNUS (Griech. Alterth. 1 p. 24) NITZSCHIUM — cf. adn. ad γ, 265 — secutus exposuit, θεῖος et δῖος adiectiva nihil aliud significare nisi virum egregium et excellentem. Dicit enim: δῖοι und θεῖοι d. h. die mit gottbegabter Trefflichkeit versehenen. Nec vero omittamus, ipsos praecones heroum nominibus honoratos esse cf. σ 423 sq

τοῖσιν δὲ κρητῆρα κεράσσατο Μούλιος ἥρως,
κῆρυξ Δουλιχιεύς.

Eustachius quoque in commentariis ad Odysseam scriptis ad υ 276 adnotat: κήρυκες δὲ οἱ κατὰ τὴν Ἰθάκην δημόσιοι ἐνταῦθα νοοῦνται, οἳ καὶ ταῖς θυσίαις ὑπούργουν θεῖον γένος ὄντες καὶ οὐ μόνον ἀνδρῶν ἄγγελοι ἀλλὰ καὶ θεῶν, ὡς ἡ Ἰλιὰς δηλοῖ. Iam vero quaeritur, quo loco praecones nati esse videantur. Et Kostka quidem, cuius libellum de praeconibus scriptum iam commemoravi, censet, praecones homines ingenuos non e regia stirpe sed e populo oriundos fuisse. Cui sententiae non obstat, quod praecones divites fuisse videntur: leguntur enim K 314 sq haec fere verba:

ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δόλων Εὐμήδεος υἱός
κήρυκος θείοιο, πολύχρυσος πολύχαλκος.

Adde quod idem Dolo paullo post dicit K 378 sqq

ζωγρεῖτ', αὐτὰρ ἐγὼν ἐμὲ λύσομαι· ἔστι γὰρ ἔνδον
χαλκός τε χρυσός τε πολύκμητός τε σίδηρος
τῶν κ' ὔμμιν χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα,
εἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν 'Αχαιῶν.

Quibus ex versibus luculentissime apparet, illum Eumedem praeconem multis et magnis divitiis praeditum fuisse. Quum autem divites praecones essent, consentaneum est eos non servos fuisse, quamquam regum ministri vocabantur: cf. A 320 sq

ἀλλ' ὅ γε Ταλθύβιόν τε καὶ Εὐρυβάτην προσέειπεν
τώ οἱ ἔσαν κήρυκε καὶ ὀτρηρὼ θεράποντε

quamquam infra videbimus, eos multis muneribus functos esse, quae servos ipsos administrasse facile conieceris. Et in ipsis quidem carminibus δημιοεργοὶ praecones appellantur, τ 134 sq

τῷ οὔτε ξείνων ἐμπάζομαι οὔθ' ἱκετάων
οὔτε τι κηρύκων, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν.

Sed quinam illi sunt, qui δημιοεργοὶ nominabantur? Schoemannus (Griech. Alterth. 1, p. 37) hunc in modum illam vocem explicat: Sie werden den δημιουργοῖς d. h. denen zugezählt, die dem gemeinen Wesen nützliche Verrichtungen ausüben. Quanta autem auctoritate δημιοεργοί fuerint, Eumaei verbis probatur, qui ρ 382 sqq haec dicit

τίς γὰρ δὴ ξεῖνον καλεῖ ἄλλοθεν αὐτὸς ἐπελθὼν
ἄλλον γ', εἰ μὴ τῶν οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν,
μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν ἢ τέκτονα δούρων;
οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν.

Quamquam igitur in regum ministris praecones numerandi esse videntur, tamen prorsus liberi erant. Ita factum est, ut praecones non in aedibus regis, sed in ipsorum aedibus habitarent. Consentaneum autem est, praeconum muneribus viros tantum functos esse, qui prudentia ac calliditate excellebant. Quodsi quaeris, unde hoc concludendum sit, epitheta ut aiunt

nonnulla afferam, quibus praecones ornantur. Velut H 276 haec verba leguntur:

Ταλθύβιός τε καὶ Ἰδαῖος, πεπνυμένω ἄμφω

et paullo post 278

κῆρυξ Ἰδαῖος, πεπνυμένα μήδεα εἰδώς.

Eodemque epitheto quod vocant β 38 Pisenor honoratur:

κῆρυξ Πεισήνωρ, πεπνυμένα μήδεα εἰδώς.

Deinde praeco eodem animo esse dicitur ac Priamus rex ille prudentissimus: leguntur enim Ω 282 haec verba

κῆρυξ καὶ Πρίαμος, πυκινὰ φρεσὶ μήδε' ἔχοντες

qui quidem versus Ω 674 repetitur.

Nec dubium esse potest quis sit κῆρυξ δαΐφρων. Notum enim est, δαΐφρων adiectivum in Iliade aliud quid significare quam in Odyssea. In Iliade enim δαΐφρων adiectivum excepto ultimo libro fortem virum, in Odyssea prudentem significare iam BUTTMANNUS in lexilogi vol. 1[4] p. 189 docuit. Cum igitur Ω 325 haec verba scripta sint

τὰς (ἡμιόνους) Ἰδαῖος ἔλαυνε δαΐφρων

concludendum est, illum virum prudentem fuisse. Etiam praeclari vel nobiles praecones dicuntur, quo nomine duces tantum et reges appellari solebant. Leguntur autem Γ 268 sq hi versus:

ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοί
ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον κτλ.

Iam vero cum viderimus quantopere praecones prudentia ac calliditate valerent, dicendum esse videtur, quibus maxime muneribus functi sint et quaenam in his ipsis muneribus administrandis iuris gentium vestigia apparuerint. Quamquam autem praecones et belli et pacis temporibus muneribus variis functi sunt, tamen hoc loco bellum et pacem non secernenda esse videntur, propterea quod illa munera hic et illic inter se congruunt. Ac primum quidem domi militiaeque praeconum erat, populum vel milites in concionem vocare — de militum

concionibus infra dicendi locus erit —. Statim initio libri alterius Odysseae Telemachus praecones iubet populum cogere. Cf. β 6 sqq

αἶψα δὲ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν
κηρύσσειν ἀγορήνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς·
οἱ μὲν ἐκήρυσσον, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.

Nec omittamus Minervam quoque praeconem se esse simulantem Phaeaces ad concionem habendam convocare: cf. θ 7 sqq

ἡ δ' ἀνὰ ἄστυ μετῴχετο Παλλὰς Ἀθήνη,
εἰδομένη κήρυκι δαΐφρονος Ἀλκινόοιο,
— — — — — — — — —
καί ῥα ἑκάστῳ φωτὶ παρισταμένη φάτο μῦθον.

Eodem autem modo Graeci in castris ad pugnam a praeconibus convocati sunt: cf. B 442 sq

αὐτίκα κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν
κηρύσσειν πόλεμόνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς.

Quibuscum versibus verba conferre licet, quae Λ 685 sq leguntur:

κήρυκες δ' ἐλίγαινον ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφιν
τοὺς ἴμεν οἷσι χρεῖος ὀφείλετ' ἐν Ἤλιδι δίῃ.

Adde quod praecones milites coactos silere ac tacere iusserunt cum principes ad loquendum surrexissent. Cuius rei documento verba sunt, quae B 96 sqq inveniuntur

ἐννέα δέ σφεας
κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον, εἴ ποτ' ἀυτῆς
σχοίατ', ἀκούσειαν δὲ διοτρεφέων βασιλήων
σπουδῇ δ' ἕζετο λαός, ἐρήτυθεν δὲ καθ' ἕδρας
παυσάμενοι κλαγγῆς.

Nec non Ψ 567 sq praeco milites tacere iussisse narratur:

ἐν δ' ἄρα κῆρυξ
χερσὶ σκῆπτρον ἔθηκε, σιωπῆσαί τ' ἐκέλευσεν.

Nec solum praeconibus ad populum convocandum utebantur, sed etiam mittebantur, qui unum alterumve principem advo-

carent. Velut in media acie M 343 sq Thootam praeconem Aiaces advocatum Menestheus misit, his verbis eum alloquens:

ἔρχεο, δῖε Θοῶτα, θέων Αἴαντα κάλεσσον,
ἀμφοτέρω μὲν μᾶλλον· ὃ γάρ κ' ὄχ' ἄριστον ἁπάντων.

Qui quidem praeco statim Aiaces arcessere festinavit. Hic uno certe verbo commemorare liceat, praeconem tamquam adiutoris quem dicunt castrensis munere functum esse. Nec negandum est, eum multo maiore auctoritate usum esse quam alios: neque enim aliter explicari potest, quomodo factum sit, ut praeco media pugna ab altero loco ad alterum perveniret. Omnino praecones non tam ministri quam adiutores principum fuisse mihi videntur. Quam quidem sententiam non eo negari censeo, quod a principibus praecones missi sunt, cum etiam alius quis mitti potuisset. Velut Alcinoi iussu θ 47 praeco vatem arcessivit

κῆρυξ δὲ μετῴχετο θεῖον ἀοιδόν.

Porro cum Telemachus Ithacam reversus matri nuncium missurus esset, praeco Penelopae eum attulit. Cf. π 328 sq

αὐτὰρ κήρυκα πρόεσαν δόμον εἰς 'Οδυσῆος,
ἀγγελίην ἐρέοντα περίφρονι Πηνελοπείῃ.

Quis autem est, qui neget, quemlibet sive servum sive liberum et Demodocum arcessere et Penelopae nuncium perferre potuisse? Attamen praeco missus est, quippe cui oblatum esset, et homines arcessere et nuncios ferre. Sic etiam explicandum est, praeconem Ulixi vestem attulisse cf. B 183 sq

τὴν (χλαῖναν) δ' ἐκόμισσεν
κῆρυξ Εὐρυβάτης 'Ιθακήσιος, ὅς οἱ ὀπήδει.

Consideranda autem sunt verba addita: ὅς οἱ ὀπήδει = qui eum sequebatur vel comitabatur. Apparet igitur praeconem semper Ulixem secutum esse tamquam adiutorem vel ut nostri milites dicunt: „Adiutant.“ Horum enim virorum condicioni praeconum homericorum condicionem hic et illic simillimam fuisse prorsus mihi persuasum est.

Nec vero solum cum foedera icerentur, praecones omnia perfecerunt, verum etiam his ipsis muneribus fungentes sacrosancti erant. Praecones autem ut, cum sacra administrarent, sacrosancti fuerint, re ipsa postulatur. Itaque factum est, ut praecones pecora ad foedera icienda — de foederibus omnino infra agendum erit — necessaria adducerent et sacris faciundis interessent. Cf. Γ 268 sqq. Adde quod Γ 116 sq hi versus leguntur:

Ἕκτωρ δὲ προτὶ ἄστυ δύω κήρυκας ἔπεμπεν
καρπαλίμως ἄρνας τε φέρειν Πρίαμόν τε καλέσσαι.

Nec tamen solum foederibus iciendis intererant, verum omnino iis viris et Graeci et Troiani utebantur, cum nuncios missuri essent. Praecones autem laedi nefas habitum esse multis locis probatur. Quis est, cui hoc loco non statim in mentem veniat, quomodo Agamemno Briseida Achilli rapuerit? Agamemno enim cum eam arcessiturus esset, praecones misit ad eam abducendam, quippe qui iure quodam gentium defenderentur. Qui quidem praecones comiter ab Achille excepti sunt iisque statim Briseis tradita est. Hic quis mihi opponere potest, versibus homericis ipsis negari, praecones iure gentium defensos esse. Leguntur enim A 331 sq haec verba:

τὼ μὲν ταρβήσαντε καὶ αἰδομένω βασιλῆα
στήτην, οὐδέ τί μιν προσεφώνεον οὐδ' ἐρέοντο.

Sed res longe alia est. Sane quidem negari nequit, illos praecones trementes Achillem adiisse, sed verbis αἰδομένω βασιλῆα explicari mihi videtur, cur tandem tremuerint. Quid enim impedit, quominus credamus, praecones perbene intellexisse, quanta iniuria Achilles afficeretur? Achilles quidem illos Διὸς ἀγγέλους ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν comiter excepit et ne conatus quidem est, iis Briseida negare. Notissimum autem est, iis qui in terram alienam speculandi causa iverint, praecones additos esse, quippe quibus comitibus omnes tuti essent. Velut Ulixes cum in

Laestrygoniam venisset iis quos speculatum misit, praeconem adiunxit: cf. κ 102

ἄνδρε δύω κρίνας, τρίτατον κήρυχ' ἅμ' ὀπάσσας.

Quibus cum verbis prorsus congruunt, quae ι 90 leguntur: sed hic versus omittendus est, quippe qui et in optimis libris manuscriptis omittatur et versibus 94—95 plane repugnet cf. AMEIS, Anhang zu Homers Odyssee 2 p. 29. KAYSER in FAESII editione Odysseae ad l. l. Adde quod Ulixes cum Aeoli domum iterum aggrederetur, socium et praeconem secum duxit: quae res comprobatur κ 59 sq

δὴ τότ' ἐγὼ κήρυκά τ' ὀπασσάμενος καὶ ἑταῖρον
βῆν εἰς Αἰόλου κλυτὰ δώματα.

Nec omittamus, Mercurium iussisse Priamum filium solutum euntem praeconem sequi: dicit enim Mercurius Ω 178 sq

κῆρύξ τίς τοι ἕποιτο γεραίτερος, ὅς κ' ἰθύνοι
ἡμιόνους καὶ ἅμαξαν κτλ.

Quibus in verbis γεραίτερος vox respicienda esse mihi videtur. Cur praeco ille aetate provectus esse debebat? Haud dubie Achilles summa ira captus non solum ipso praecone verum etiam aetate utriusque advenae commovendus erat, ut iis parceret. Sed omnibus ex locis, quos attuli, apparet, praeconum munus tamquam sacrosanctum habitum esse. Neque enim aliter explicari potest, quaenam causa fuerit, cur legatis missis praeco adiceretur. Manifestum autem est, praecones illos prorsus temere additos esse, nisi legati ipsis illis praeconibus defensi essent. Vides igitur luculentissima haec esse iuris gentium vestigia. At alia etiam maioris momenti exempla exstant. Praecones enim pugnam interrupisse traduntur: cf. H 273 sqq

καί νύ κε δὴ ξιφέεσσ' αὐτοσχεδὸν οὐτάζοντο,
εἰ μὴ κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
ἦλθον, ὁ μὲν Τρώων ὁ δ' Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων,
— — — — — — — — —
μέσσῳ δ' ἀμφοτέρων σκῆπτρα σχέθον κτλ.

Hic unusquisque intellegit, quanta praeconum auctoritas fuerit: ab utrisque missi sunt et a Troianis et a Graecis, qui impedirent, quominus Hector et Aiax pugnare pergerent. Nec non illi statim morem gesserunt statimque pugna abstinuerunt. Praecones autem pugnam finiverunt, quippe quorum esset, ius ordinemque servare. Ideoque factum est, ut praecones etiam adessent cum medio in populo principes sortirentur, cui pugnandum esset. Quam ad rem conferre iuvat Η 181 sqq

ὣς ἄρ' ἔφαν, πάλλεν δὲ Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ,
ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος κυνέης, ὃν ἄρ' ἤθελον αὐτοί,
Αἴαντος· κῆρυξ δὲ φέρων ἀν' ὅμιλον ἁπάντῃ
δεῖξ' ἐνδέξια πᾶσιν ἀριστήεσσιν 'Αχαιῶν.

Legati autem iam illo tempore heroico missi sunt, qui bellum indicerent: ita ut iam πόλεμος ἀκήρυκτος a bello indicto secerni posset. Quod si locos petis, quibus legati missi esse probentur hos afferam. Graeci enim antequam bellum indixerunt, legatos Troiam miserunt, qui poscerent, ut Helena redderetur: cf. Γ 205 sq

ἤδη γὰρ καὶ δεῦρό ποτ' ἤλυθε δῖος 'Οδυσσεύς
σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης σὺν ἀρηιφίλῳ Μενελάῳ.

Quos quidem legatos verisimillimum est statim bellum indixisse, cum Paris negavisset, se Helenam esse redditurum. Antimachum autem legatos Troiam missos interfici iussisse elucet ex Λ 139 sqq

ὅς ('Αντίμαχος) ποτ' ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ Μενέλαον ἄνωγεν
ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέῳ 'Οδυσῆι,
αὖθι κατακτεῖναι μηδ' ἐξέμεν ἂψ ἐς 'Αχαιούς.

Sed aliud quid quoque ex his versibus apparet. Certiores enim facti sumus, Ulixem et Menelaum nullo praecone comite Troiam sese contulisse. Quae quidem res eo explicari mihi videtur, quod non solum praecones sed omnino legati ab altera civitate ad alteram missi sacrosancti erant. Haec autem sententia aliis quoque exemplis probari potest. Achivi enim

cum Thebanis arma inferrent, Tydeum nuncium Thebas miserunt. Cf. Δ 384

ἔνθ' αὖτ' ἀγγελίην ἔπι Τυδῆ στεῖλαν Ἀχαιοί.

Quin etiam manifestum est, Tydeum non semel sed bis certe ad Thebanos missum esse. Hic autem Tydeus in medios hostes sese contulit ac tanta erat legati auctoritas, ut ipsos hostes, ad quos missus erat, impunitus ad pugnam evocaret. Cf. Δ 385 sqq

αὐτὰρ ὁ βῆ, πολέας δὲ κιχήσατο Καδμείωνας
δαινυμένους κατὰ δῶμα βίης Ἐτεοκληείης.
ἔνθ' οὐδὲ ξεῖνός περ ἐὼν ἱππηλάτα Τυδεύς
τάρβει κτλ.

Hic mihi opponi potest, Tydeo insidias a Thebanis paratas esse, quippe qui omnes in certamine superavisset, ideoque ius gentium fuisse negandum esse. Sed vide quomodo illae insidiae paratae sint. Neque enim quisquam illorum Thebanorum quamvis summa ira commotorum in ipsa urbe legatum laedere ausus est sed demum iam ex urbe egressum petierunt. Quod si quaeris, unde concludendum sit, extra urbem illas insidias fuisse, afferam Δ 392

ἂψ ἄρ' ἀνερχομένῳ πυκινὸν λόχον εἷσαν ἄγοντες.

In ipsa igitur urbe legatus iure quodam defensus est: namque nisi ullum ius illi erat, quid tandem Thebanos impedivit, quominus illum unum hominem statim peterent: sed legatum verebantur. Ceterum apparet, ipsi Tydeo summam culpam tribuendam esse, quoniam omnino legato ad hostes misso non licet, illos hostes superbia irritare. Adde quod hac de re iam heroica ipsa aetate idem iudicium fuisse videtur. Minerva enim E 803 sqq dicit

(Τυδεὺς) ὅτε τ' ἦλθε νόσφιν Ἀχαιῶν
ἄγγελος ἐς Θήβας, πολέας μετὰ Καδμείωνας.
δαίνυσθαί μιν ἄνωγον ἐνὶ μεγάροισιν ἕκηλον·

αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἔχων ὃν καρτερόν, ὡς τὸ πάρος περ,
κούρους Καδμείων προκαλίζετο, πάντα δ' ἐνίκα.

Quibus in verbis mea quidem sententia maxime illa verba „θυμὸν ἔχων ὃν κάρτερον" respicienda sunt. His enim verbis Minerva luculenter dicit, illum iniuriam fecisse, quod Thebanos ad pugnam evocavit. Cui sententiae illa verba non repugnant, quae Diomedes K 289 profert

ἀτὰρ ἂψ ἀπιὼν μάλα μέρμερα μήσατο ἔργα.

Diomedes enim iure suo illa facta commemoratu digna esse dicit, quod Tydeus omnes quinquaginta iuvenes, qui insidias paraverant, superavit. Μέρμερα autem ἔργα germanicis verbis „denkwürdige Thaten" respondere Georgius Curtius (Grundz. p. 308) docuit. Ex his autem omnibus, quae modo exposita sunt, apparet, legatos et praecones iure quodam ab omnibus defensos esse. Quae cum ita sese habeant, haec luculentissima iuris gentium vestigia esse censeo. Alia quoque vestigia exstant, e quibus praecones iure suo defensos esse elucet. Notum enim est, praecones foederibus iciendis interfuisse. Et de foederibus quidem iam agendum est.

Etenim manifestum esse mihi videtur, foedera inter gentes liberas facta luculentissima iuris gentium vestigia esse. Iam supra commemoratum est, bellum modo indictum modo non indictum esse videri. Cum enim Ulixes saepe glorietur quod praedationes fecerit cumque Nestor quoque narret, quomodo iuvenis praedas fecerit, facile est suspicatu omnino illis temporibus bella non esse indicta. Quodsi negari nequit, illas praedationes ab Ulixe et Nestore factas antea non esse indictas, tamen versus quoque inveniuntur, quibus adducar, ut credam, bella esse indicta. Quaenam erat causa cur Graeci antequam bellum inceperunt Ulixem Menelaumque — ut supra iam a me commemoratum est — Troiam legatos mitterent? Etiamsi ipsis verbis homericis probari non potest, nemo tamen aliam causam iis fuisse videtur suspicari quam quod Helenam peterent et,

si negaretur, bellum indicerent. Ulixem autem ac Menelaum Helenam petitum Troiam missos esse, ex verbis probari potest, quae Γ 205 sqq leguntur:

ἤδη γὰρ καὶ δεῦρό ποτ' ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεύς,
σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης, σὺν ἀρηιφίλῳ Μενελάῳ

Cf. Λ 140. Quibus verbis adde Γ 209:

ἀλλ' ὅτε δὴ Τρώεσσιν ἐν ἀγρομένοισιν ἔμιχθεν.

Hic vides, Menelaum et Ulixem in Troianorum concione verba fecisse. Quid autem aliud illi viri ibi protulerunt quam quod Helenam raptam petiverunt? Adde quod etiam Tydeus — de quo multa iam exposita sunt — Thebas missus esse videtur, qui ea proferret, quae Achivi postulaverunt. Achivos autem Tydeo infecta re reverso bellum incepisse ex eo apparet, quod victi fugatique esse dicuntur. Sthenelus quidem Agamemnoni, qui Diomedi opprobrio fecerat, quod maiorum non similis esset, respondit, illos superbia sua interiisse. Leguntur enim Δ 409 haec verba:

κεῖνοι δὲ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο.

His autem verbis nihil aliud poeta dicit, nisi illos Achivos, cum Thebas peterent, victos superatosque esse.

Iam vero illis ipsis temporibus pacta certo quodam consilio facta sunt. Duo maxime commemoranda sunt certamina singularia. Ac primum quidem Hectoris et Aiacis certamen considerandum est. Hector enim H 46 sqq a Minerva excitatus medios in hostes progressus est, ut optimum Achivorum ad certamen provocaret. Hic statim animadvertendum est, Graecos quoque ubi primum Hector Troianos pugna desistere iussit, pugnam intermisisse. Vides igitur, eum, qui quamvis media in acie dicturus esset, iure quodam defensum esse. Quod ni fuisset, omnino audere nemo potuit, tali modo certamen singulare inire, propterea quod statim interfectus esset, qui ex acie progrederetur et ad pugnandum evocaret. Cf. H 55 sq

καί ῥ' ἐς μέσσον ἰὼν Τρώων ἀνέεργε φάλαγγας
μέσσου δουρὸς ἑλών· τοί δ' ἱδρύνθησαν ἅπαντες.

Quibus autem animis illi viri impleti fuerint, ex verbis apparet, quae Achivos Troianosque locuturos esse Hector censet: cf. H 300 sqq

ὄφρα τις ὧδ' εἴπῃσιν 'Αχαιῶν τε Τρώων τε
ἠμὲν ἐμαρνάσθην ἔριδος πέρι θυμοβόροιο,
ἠδ' αὖτ' ἐν φιλότητι διέτμαγεν ἀρθμήσαντε.

Etiam alterum certamen longe nobilisimum commemorandum est, quod inter Paridem et Menelaum erat. Hoc autem certamen iam a NAEGELSBACHIO summi momenti esse traditur. Is enim in theologia homerica p. 304 haec verba habet: „Dieser Zweikampf legt uns die völkerrechtliche Gesittung des Zeitalters in dem ausführlich geschilderten Vertragsabschlusse dar.“ Et illo quidem loco, quo Hector ad hoc certamen provocaturus erat, Graeci quidem eum sagittis et lapidibus petiisse feruntur sed Agamemno statim eos pugnam intermittere iussit his ipsis verbis Γ 82 sq

ἴσχεσθ', 'Αργεῖοι, μὴ βάλλετε, κοῦροι 'Αχαιῶν·
στεῦται γάρ τι ἔπος ἐρέειν κορυθαίολος Ἕκτωρ.

Tum vero statim Graeci quoque pugna abstiterunt et Hector, quae dicenda erant, protulit. Cf. Γ 90 sqq

αὐτὸν ('Αλέξανδρον) δ' ἐν μέσσῳ καὶ ἀρηίφιλον Μενέλαον
οἴους ἀμφ' Ἑλένῃ καὶ κτήμασι πᾶσι μάχεσθαι.
ὁππότερος δέ κε νικήσῃ κρείσσων τε γένηται,
κτήμαθ' ἑλὼν εὖ πάντα γυναῖκά τε οἴκαδ' ἀγέσθω.
οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα καὶ ὅρκια πιστὰ τάμωμεν.

En vides rectissimum hoc consilium fuisse. Namque in eo erat, ut ii bellum finirent, propter quos inceptum erat. Quod quidem pactum quo sanctius esset, Priamus arcessitus est, ut sacra faceret. Conferre autem iuvat Menelai verba, quae Γ 105 sqq inveniuntur

ἄξετε δὲ Πριάμοιο βίην, ὄφρ' ὅρκια τάμνῃ
αὐτός, ἐπεί οἱ παῖδες ὑπερφίαλοι καὶ ἄπιστοι,
μή τις ὑπερβασίῃ Διὸς ὅρκια δηλήσηται.
αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται·
οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
λεύσσει, ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται.

Priamus igitur cum advenisset, foedus summis caerimoniis ictum est: quas caerimonias hic describere non necesse est, quippe quae ad nostrum quaestionem nihil efficiant. Satis esse videtur commemorare, Jovem deosque invocatos esse, ut eum punirent, qui periurium facturus esset. En habes verba illa Agamemnonis Γ 276 sqq

Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε μέγιστε,
ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις,
καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅ τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Atque Achivi quidem hoc tanto iureiurando promiserunt, se domum redituros esse, si Menelaus a Paride superaretur, sin vero Paris vinceretur, Troiani promiserunt, se non solum Helenam reddituros sed etiam pretium soluturos esse. Quanti autem Graeci et Troiani illud pactum ipsi aestimaverint, versus probant, qui Γ 297 sqq leguntur

ὧδε δέ τις εἴπεσκεν Ἀχαιῶν τε Τρώων τε·
„Ζεῦ κύδιστε μέγιστε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος,
αὐτῶν καὶ τεκέων, ἄλοχοι δ' ἄλλοισι δαμεῖεν."

Neque igitur ex eo, quod hoc pactum foedissime interruptum est, concludendum est, omnino tale pactum non magni habitum esse. Cui sententiae primum quidem opponendum est, Pandarum Minervae dolo commotum esse, ut illud perniciosum telum emitteret; tum vero non neglegendum est, quemadmodum illo ipso tempore hac de re iudicatum sit. Et

Agamemno quidem censet, Jovem iurisurandi tutorem ipsum Troianos esse puniturum. Cf. Δ 160 sqq

εἴ περ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,
σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.

Omittenda vero illa verba sunt, quae Δ 206 sq leguntur:

ὅν τις ὀιστεύσας ἔβαλεν, τόξων εὖ εἰδώς,
Τρώων ἢ Λυκίων, τῷ μὲν κλέος, ἄμμι δὲ πένθος.

His enim verbis Talthybius dixit, gloriam illam sagittam parare, quoniam Menelaus gravi vulnere ictus esse videretur: nec vero ita illa verba explicanda sunt, ut Talthybius vel potius Agamemno — eius enim verba praeco affert 195—197 =205—207 — omnino sagittario illum ictum gloriae faceret. Inde igitur nullo modo potest concludi, illis temporibus foedus interruptum non opprobrio esse factum. Statim autem Achivi in Troianos impetum fecerunt. Nec neglegenda sunt verba, quibus Agamemno Achivos ad pugnam adhortatus est: censet enim ipsos superiores decessuros esse, quia Juppiter mendaces non sit defensurus. Cf. Δ 235 sqq

οὐ γὰρ ἐπὶ ψευδέσσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγός,
ἀλλ' οἵ περ πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια δηλήσαντο,
τῶν ἤτοι αὐτῶν τέρενα χρόα γῦπες ἔδονται.

Iam vero quaerendum est, nonne etiam versus inveniantur, quibus probetur, quid tandem Troiani ipsi de Pandoro foederque rupto censuerint. De Troianorum autem sententiis nihil traditum est, sed ex ipsis Pandori verbis concludendum est, se poenitere, quod in Menelaum sagittam commisit. Talis enim sensus in verbis sese mihi videtur, quae E 209 sq inveniuntur:

τῷ ῥα κακῇ αἴσῃ ἀπὸ πασσάλου ἀγκύλα τόξα
ἤματι τῷ ἑλόμην.

Quae cum ita sese habeant — Antenoris quoque verba afferri possunt, quae H 351 sq leguntur:

νῦν δ' ὅρκια πιστὰ
ψευσάμενοι μαχόμεσθα· τῷ οὔ νύ τι κέρδιον ἧμιν —
negari nequit, illa foedera magni habita esse et Graecos et Troianos iniuriam duxisse foedus ictum interrumpere. Quodsi verum est, luculentissima hic exstare iuris gentium vestigia nemo est qui infitietur.

Sed alia quoque vestigia exstant, quibus probetur, quanti foederum ictorum auctoritas habita sit. Namque et cum Graecis et cum Troianis socii foederibus coniuncti erant. Quae quidem quaestio — quantum ad Graecos spectat — maxime in ea condicione vertitur, quam inter Agamemnonem aliosque principes fuisse statuimus. Notissimum autem est, in Iliade Achillis iram celebrari, illam iram dico, qua commotus a bello abstinuit et Patroclo demum ab Hectore interfecto adductus est, ut eum multum pugnae iterum interesset. Quodsi contemplamur, Achilli illam litem cum Agamemnone fuisse, quem omnium ducum principem fuisse nobis carmina homerica tradunt, quaeritur, quomodo omnino fieri potuerit, ut Achilles summi Graecorum principis imperium detrectaret. Apparet enim, Agamemnonis potestatem non tantam fuisse, ut Achillem ad bellandum cogere posset. Quam ob rem cum Agamemnonis potestas pactis vel alio modo coerceretur, non abs re esse videbatur, quaerere, num forte Achilles ceterique duces Graecorum Agamemnonis socii nec vero subiuncti fuerint et — si quidem hoc demonstrari potest — qualis sociorum condicio temporibus homericis fuerit. Elucet autem, Achillis et Agamemnonis res prorsus alias esse, si demonstratum est, Achillem Agamemnonis socium fuisse ideoque suo iure, cum laederetur, arma posuisse.

Iam veteres ipsi dissenserunt, qualis Graecorum, qui Agamemnonem Troiam secuti sunt, status fuisset. Alii enim, in quibus Apollodorus 3, 10, 9 et Pausanias 3, 20, 9 numerandi sunt, tradunt, Tyndareum cum Helenae nuptias celebraret, procos eius sacramento adegisse, ut si quando Helenae coniux

uxoris causa laederetur, illi auxilio venirent. Liceat et Apollodori et Pausaniae verba, quae l. l. leguntur, hic addere: (Ὀδυσσεὺς) πάντας εἶπεν ἐξορκίσαι τοὺς μνηστῆρας βοηθήσειν, ἐὰν ὁ προκριθεὶς νύμφιος ὑπ' ἄλλου τινὸς ἀδικῆται περὶ τὸν γάμον. Pausanias autem haec scripsit: Τυνδάρεως γὰρ θύσας ἵππον τοὺς Ἑλένης ἐξώρκου μνηστῆρας, ἱστὰς ἐπὶ τοῦ ἵππου τῶν τομίων· ὁ δὲ ὅρκος ἦν Ἑλένῃ καὶ τῷ γῆμαι προκριθέντι Ἑλένην ἀμύνειν ἀδικουμένοις. Alii autem dixerunt, Agamemnonem illud imperium sibi parasse eo quod maxima potentia inter omnes Graecos ei erat. Quam quidem sententiam Thucydides amplexus est, qui in primi libri c. 9 haec habet: Ἀγαμέμνων τε μοι δοκεῖ τῶν τότε δυνάμει προύχων, καὶ οὐ τοσοῦτον τοῖς Τυνδάρεω ὅρκοις κατειλημμένους τοὺς Ἑλένης μνηστῆρας ἄγων, τὸν στόλον ἀγεῖραι· quibus quidem verbis paullo inferius haec addit: ἅ μοι δοκεῖ Ἀγαμέμνων παραλαβὼν καὶ ναυτικῷ (τε) ἅμα ἐπὶ πλέον τῶν ἄλλων ἰσχύσας, τὴν στρατείαν οὐ χάριτι τὸ πλεῖον ἢ φόβῳ ξυναγαγὼν ποιήσασθαι. Ex ipsis vero carminibus homericis nullus quidem versus afferri potest, quo probetur, Apollodorum et Pausaniam sequendum esse, sed ex iis, quae de omni Graecorum principum condicione commemorantur, potius concludendum esse videtur, Agamemnonem illud imperium non obtinuisse, quippe qui summa potestate usus esset, sed qui pactis foederibusque ceteros principes secum coniunxisset. Quod si verum est, facillimum est explicatu, quomodo fieri potuerit, ut Achilles Agamemnonis imperium detrectaret. Exstant autem nonnulli certe loci, quibus de Agamemnone Graecisque ita agitur, ut inde quid repeti possit. Leguntur enim ε 306 sq haec verba:

τρισμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ, χάριν Ἀτρείδῃσι φέροντες.

Quibus ex verbis χάριν φέροντες mihi quidem potius concludendum esse videtur, pacta fuisse quam Agamemnonem Menelaumque ceteros Graecos coegisse, ut belli Troiani inferendi participes fierent. Quid? nonne ex B 284 sqq luculen-

tissime apparet, Graecos societate coniunctos fuisse? Ibi enim Ulixes Graecos retenturus haec dixit:

'Ατρείδη, νῦν δή σε, ἄναξ, ἐθέλουσιν 'Αχαιοί
πᾶσιν ἐλέγχιστον θέμεναι μερόπεσσι βροτοῖσιν,
οὐδέ τοι ἐκτελέουσν ὑπόσχεσιν ἥν περ ὑπέσταν
ἐνθάδ' ἔτι στείχοντες ἀπ' Ἄργεος ἱπποβότοιο,
Ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

His autem verbis probari, Graecos cum Agamemnone consociatos fuisse, vix est quod moneam. Adde quod paullo infra B 339 sqq Nestor haec dixit:

πῇ δὴ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμιν;
ἐν πυρὶ δὴ βουλαί τε γενοίατο μήδεά τ' ἀνδρῶν
σπονδαί τ' ἄκρητοι καὶ δεξιαί, ῇς ἐπέπιθμεν.

Quo loco bene Faesius censet, illud promissum sacramentum quoddam fuisse: dixit enim l. l. „ὅρκια sind die 286 genannte ὑποσχέσις, eine Art Fahneneid (sacramentum) auf Grundlage eines freiwilligen Vertrages."

Iam vero quaeritur, quaenam omnino sociorum condicio fuerit. Supra iam commemoratum est, Achillem acerrime in Agamemnonem invehi videri. Sed videtur tantum: nam mea quidem sententia Achilles suo iure Agamemnonem illo modo tractavit. Apparet autem, Agamemnonem, si Achilles quippe cui minor potestas esset, obsequi debuisset, non illo modo acturum fuisse, ut finem suum assequeretur. Neque Achilles audere potuit, eum qui omnibus ducibus potentia et auctoritate praestaret, illo asperrimo modo tractare. Res autem illa, de qua agitur, satis nota est. Agamemno enim postulavit, ut Achilles Briseida redderet, propterea quod Chryses filiam suam repetiverat: quam quidem puellam Achilles non solum recusavit verum etiam minatus est, se domum rediturum esse, si Agamemno vi illam abduceret. Quid? quod Agamemno illud consilium domum redeundi impedire non potuit. Nec tamen omittamus, versus in carminibus homericis inveniri, e quibus Agamemnoni maiorem

potestatem quam aliis ducibus fuisse, haud difficile concluditur. Velut I 69 haec verba scripta sunt:

Ἀτρείδη, σὺ μὲν ἄρχε· σὺ γὰρ βασιλεύτατός ἐσσι.

Sed hic honor, qui Agamemnoni tribuitur, ei datur, quippe qui dux summus sit. Nec Nestoris verba repugnant, qui A 281 haec profert:

ἀλλ' ὅδε φέρτερός ἐστιν, ἐπεὶ πλεόνεσσιν ἀνάσσει.

Agamemno igitur dux factus esse videtur, quoniam maximam manum ad communem expeditionem adduxerat. Agamemnonem autem ceteros Graecos ad bellum gerendum non coegisse, Achillis verba indicare videntur, qui A 158 sqq haec dixit:

ἀλλὰ σοί, ὦ μέγ' ἀναιδές, ἅμ' ἑσπόμεθ' ὄφρα σὺ χαίρῃς
τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοί τε, κυνῶπα,
πρὸς Τρώων.

Quo loco non silentio praetermittamus, quantopere mirandum sit, quod non Menelaus coniux laesus Graecorum dux erat, sed Agamemno frater. Iam vero Aristoteles in sua carminum homericorum editione nonnulla verba legebat, quae quamquam hodie in nostris libris non iam exstant, tamen commemoratu digna sunt: Aristoteles enim in polit. 3, 9, 2 haec habet verba: Αὕτη μὲν οὖν ἡ βασιλεία οἷον στρατηγία τις αὐτοκρατόρων καὶ αΐδιός ἐστιν· κτεῖναι γὰρ οὐ κύριος, εἰ μὴ ἔν τινι βασιλείᾳ καθάπερ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων ἐν ταῖς πολεμικαῖς ἐξόδοις ἐν χειρὸς νόμῳ. Δηλοῖ δ' Ὅμηρος· ὁ γὰρ Ἀγαμέμνων κακῶς μὲν ἀκούων ἠνείχετο ἐν ταῖς πολεμικαῖς, ἐξελθόντων δὲ καὶ κτεῖναι κύριος ἦν, λέγει γοῦν· ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης οὔ οἱ ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς· πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος.

His igitur verbis Agamemnoni summum tribuitur imperium; quod quomodo adeptus sit non affertur. Sed constat, Agamemnonis imperium non liberum fuisse, sed ducum ceterorum sententias respiciendas fuisse. Namque primum quidem imperium concionibus habitis coercebatur. Quibus concionibus quin omnes Graeci interfuerint non est cur dubitetur: et quamquam ad con-

cilium vocatis nihil aliud concessum erat nisi assentiri vel dissentire, tamen nonnullum ius iis quoque datum esse videmus. Ita factum est, ut Agamemno Graecos in concione adhortaretur, ut domum redirent. Quin etiam Graecos vino oneratos convocare Agamemno et Menelaus non dubitaverunt, cum dissensio esset, utrum domum redirent necne. Sed quaeritur, quomodo milites illius consilii capiendi participes facti sint. Tantum abest, ut ex militibus ipsis surrexerint qui proponerent, ut duces soli ad dicendum surrexerint militesque circumstantes claris vocibus aut laudaverint atque approbaverint aut fremuerint. Velut cum Ulixes B 331 ad exercitum sese converteret militesque adhortaretur, ut manerent, illi eius verba multo clamore laudaverunt laetisque verbis acclamaverunt. Cf. B 333 sqq

ὣς ἔφατ', Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον — ἀμφὶ δὲ νῆες
σμερδαλέον κονάβησαν ἀυσάντων ὑπ' Ἀχαιῶν —
μῦθον ἐπαινήσαντες Ὀδυσσῆος θείοιο.

Paullo post B 394 milites Agamemnoni quoque applausisse narrantur:

ὣς ἔφατ', Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ὡς ὅτε κῦμα.

Deinde cum Thersites ille ab Ulixe punitus esset, milites riserunt ideoque assensum significarunt B 270

οἱ δὲ καὶ ἀχνύμενοί περ ἐπ' αὐτῷ ἡδὺ γέλασσαν.

Tum vero hoc ius conciliorum convocandorum non uni Agamemnoni summo duci erat, sed etiam Achilles exercitum in concionem convocavit. Cf. A 54

τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς.

Quodsi Agamemno revera summus dux sua ipsius potentia atque auctoritate factus erat, vix credibile est, eum concessisse, ut in iure ipsius interpellaretur. Nec tamen Agamemno cum Achilles Graecos convocaret, prohibere studuit, quominus concio fieret, sed omnes Graeci frequentes convenerunt Achillesque Agamemnoni ipsi praescripsit, quid faciendum esset. Adde quod vix militum concione vel principum concilio opus fuisse

videtur, ut iussus confirmarentur, si Agamemno tantopere ceteros Graecos opibus superavit, ut eum sequi ceteri coacti essent. Tum enim imperanti ut domum redirent non potuerunt non obsequi, tum imperanti, ut manerent parendum erat atque imperata facienda erant. Sed cum neutrum fiat, non dubium ėst, quin Agamemnonis auctoritas tantum in imperio voluntarie a Graecis allato nixa sit. Ita fit, ut Menelaus quoque fratris imperii particeps fuisse videatur. Leguntur enim γ 141 sqq haec verba

ἔνθ' ἤτοι Μενέλαος ἀνώγει πάντας Ἀχαιούς
νόστου μιμνήσκεσθαι ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
οὐδ' Ἀγαμέμνονι πάμπαν ἑήνδανε.

Vides igitur, ne inter fratres quidem, quorum maxime interesse debuit, consensum fuisse. Namque ex loco modo allato apparet, quae fratrum dissensio fuerit. Ducum autem consilio, quo Agamemnonis imperium ab ipsis principibus coercitum est, demonstrari mihi videtur, Agamemnonem tantum primum inter pares fuisse. Ita fit, ut Agamemno B 53 sqq cum somnio illo commotus exercitum ad pugnam ducturus esset, antequam milites ipsos convocaret, duces ceteros coegerit, quibus quid ipse facturus esset proponeret. Cf. B 53 sq

βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων
Νεστορέῃ παρὰ νηὶ Πυλοιγενέος βασιλῆος.

Hi duces ab Agamemnone excitati sunt, ut in concione militum ad dicendum surgerent. Cf. B 73 sqq

πρῶτα δ' ἐγὼν ἔπεσιν πειρήσομαι, ἣ θέμις ἐστίν,
καὶ φεύγειν σὺν νηυσὶ πολυκλήισι κελεύσω.
ὑμεῖς δ' ἄλλοθεν ἄλλος ἐρητύειν ἐπέεσσιν.

Quin etiam Thersites omnino audere non potuit, tanta atrocitate et impudentia Agamemnonem tractare, nisi militi quoque quid sentiret dicere concessum erat. Nec facile est intellectu, cur Agamemno omnino talem impudentiam passus sit, si quidem potentissimus omnium ducum erat. Adde quod Thersites non ab Agamemnone vel eius iussu sed ab Ulixe poena affectus est.

Consentaneum autem est, tantum principum sententias in concione ab Agamemnone respectas esse: qui quidem principes βασιλῆες appellabantur. Hi vero etiam ad cenam ab Agamemnone invitati sunt: cuius moris documento verba sunt, quae B 404 sqq leguntur:

κίκλησκεν δὲ γέροντας ἀριστῆας Παναχαιῶν,
Νέστορα μὲν πρώτιστα καὶ 'Ιδομενῆα ἄνακτα,
αὐτὰρ ἔπειτ' Αἴαντε δύω καὶ Τυδέος υἱόν,
ἕκτον δ' αὖτ' 'Οδυσῆα Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον,
αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.

Cum his igitur Graecorum ducibus concilium illud habitum est, in quo de Agamemnonis consilio postea pessime casuro agebatur. Hic quaeritur, quid tandem omnino illae orationes coram militibus habitae sibi voluerint, nisi more receptum erat, ut de talibus rebus a principibus palam ageretur. Apparet enim, futurum fuisse, ut dolum Agamemnonis patefieret, nisi milites iam eiusmodi concionibus interfuerant. In illa autem concione, quae habita est, postquam duces cum Agamemnone eadem consilia agitaverunt, nullae omnino orationes habitae sunt, propterea quod milites, ubi primum Agamemnonis consilium audiverunt, statim ad naves fugerunt. Neque aliter in ipso Iliadis initio cum Achilles et Agamemno inter se litigarent, Nestor surrexisse narratur, qui non solum Achillem sed etiam Agamemnonem quamvis summum ducem adhortaretur, ut alter alteri morem gereret. Qui fieri potuit, ut Nestor talem adhortationem Agamemnoni quoque proferret, nisi sociis ius ac potestas dicendi erat? Planis igitur verbis cum Achillem tum Agamemnonem Nestor hortatus est, ut obsequerentur. Cf. A 274

ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον.

Quodsi ea quae modo exposita sunt, bene sese habent, non tam apparere videtur, Thucydidem 1, 9 suo iure dicere, Agamemnonem expeditionem in Troianos οὐ χάριτι τὸ πλεῖον ἢ φόβῳ comparasse, quam Graecos pacto quodam ad bellum paran-

dum coactos esse ideoque Agamemnonis socios nec subiectos fuisse. Adde quod unus quisque dux — militibus tale quid non concessum fuisse consentaneum est — ius potestatemque in castris manendi aut castrorum deserendorum habuit. Ita factum est, ut Achilles cum ab Agamemnone laesus esset, minitaretur, se non solum ipsum domum esse rediturum, cf. I 356 sqq

νῦν δ', ἐπεὶ οὐκ ἐθέλω πολεμιζέμεν Ἕκτορι δίῳ,
αὔριον ἱρὰ Διὶ ῥέξας καὶ πᾶσι θεοῖσιν,
νηήσας εὖ νῆας, ἐπὴν ἅλαδε προερύσσω.

sed etiam alios adhortaturum esse, ut castra desererent cf. I 416 sq

καὶ δ' ἂν τοῖς ἄλλοισιν ἐγὼ παραμυθησαίμην
οἴκαδ' ἀποπλείειν, ἐπεὶ οὐκέτι δήετε τέκμωρ.

Quibus verbis adicienda sunt, quae B 357 sqq leguntur

εἰ δέ τις ἐκπάγλως ἐθέλει οἶκόνδε νέεσθαι,
ἁπτέσθω ἧς νηὸς ἐυσσέλμοιο μελαίνης,
ὄφρα πρόσθ' ἄλλων θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ.

Ulixes autem cum omnes Graeci Agamemnone adhortato statim fugam capesserent, milites variis modis ad concionem revocaturus erat. Sane quidem consentaneum est, Ulixem alio modo principes, alio modo milites gregarios tractavisse: sed vide quomodo hoc fecerit. Principes enim suavibus verbis adhortatus est, ut manerent: cf. B 188 sq

ὅν τινα μὲν βασιλῆα καὶ ἔξοχον ἄνδρα κιχείη,
τὸν δ' ἀγανοῖς ἐπέεσσιν ἐρητύσασκε παραστάς

milites autem gregarios verberibus impulit

ὃν δ' αὖ δήμου τ' ἄνδρα ἴδοι βοόωντά τ' ἐφεύροι,
τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκεν, ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ.

Hos autem principes ab Ulixe retentos non illos novem qui βασιλῆες appellari solebant, fuisse ex eo elucet, quod cum iis Agamemno consilium suum iam communicaverat cf. B 54 sqq. Luculentissime vero sociorum condicio qualis fuerit in eo cernitur, quod Troiani sociis suis valde indulserunt. Ac Faesio qui-

dem qui ad E 491 adnotat, foedus inter socios tale fuisse, ut socii modestissime tractarentur necesse esset, prorsus assentior. Qua tandem fiducia, qua superbia illa Sarpedonis verba prolata sunt, quibus ille Hectorem aggressus est. Cf. E 490 sqq

σοὶ δέ χρὴ τάδε πάντα μέλειν νύκτας τε καὶ ἦμαρ
ἀρχοὺς λισσομένῳ τηλεκλειτῶν ἐπικούρων
νωλεμέως ἐχέμεν, κρατερὴν δ' ἀποθέσθαι ἐνιπήν.

Idem Sarpedo Hectori ipsi dicit, Troiam sociis non adiuvantibus defendi non posse. Quaerit enim ex Hectore, num ipse solus cum consobrinis ac fratribus urbem defensurus sit. Cf. E 472 sqq

Ἕκτορ, πῇ δή τοι μένος οἴχεται, ὃ πρὶν ἔχεσκες;
φῆς που ἄτερ λαῶν πόλιν ἑξέμεν ἠδ' ἐπικούρων
οἶος, σὺν γαμβροῖσι κασιγνήτοισί τε σοῖσιν.

Neque omittendum est, quomodo inter Hectorem et Glaucum, Lyciorum ducem actum sit: cf. P 140 sqq. Ibi enim Hector nos docet, quomodo socii tractati sint, ut semper bonis fortibusque animis uterentur. Cf. P 225 sq

τὰ φρονέων δώροισι κατατρύχω καὶ ἐδωδῇ
λαούς, ὑμέτερον δὲ ἑκάστου θυμὸν ἀέξω.

Et idem Hector ipse concessit, quanti socii aestimandi essent. Apparet enim, Troianos ipsos non tantopere valuisse, ut tanto Graecorum exercitui per decem annos resistere possent. Quae cum Troiani intellexissent, socios sibi adiunxerunt; quorum quidem numerus quantus fuerit, luculenter nos illa verba docent, quae Hector P 220 protulisse narratur:

κέκλυτε, μυρία φῦλα περικτιόνων ἐπικούρων.

Quibuscum verbis prorsus congruunt, quae in navium catalogo de Troianis eorumque sociis narrantur. Accedit quod ex Agamemnonis verbis, quae B 129 sqq inveniuntur, colligi potest, permultos socios a Troianis esse congregatos. Verba l. l. haec sunt:

τέσσον ἐγώ φημι πλέας ἔμμεναι υἷας Ἀχαιῶν
Τρώων, οἳ ναίουσι κατὰ πτόλιν, ἀλλ' ἐπίκουροι
πολλέων ἐκ πολίων ἐγχέσπαλοι ἄνδρες ἔασιν,
οἵ με μέγα πλάζουσι καὶ οὐκ εἰῶσ' ἐθέλοντα
Ἰλίου ἐκπέρσαι εὐναιόμενον πτολίεθρον.

Vides igitur, Agamemnonem quoque censere, Troianos sociis non adiuvantibus urbem tam diu retinere non potuisse. Quo factum est, ut Troianorum socii ipsi numquam obliviscerentur, quid sibi Troiani deberent: illi enim suo iure a Troianis postulaverunt, ut auxilio venirent. Cuius rei exemplum si petis, afferendum est, Glaucum Sarpedone occiso ab Hectore petiisse, ut ad corpus Sarpedonis servandum auxilio veniret. Cf. Π 538 sqq

Ἕκτορ νῦν δὴ πάγχυ λελασμένος εἷς ἐπικούρων,
οἳ σέθεν εἵνεκα τῆλε φίλων καὶ πατρίδος αἴης
θυμὸν ἀποφθινύθουσι· σὺ δ' οὐκ ἐθέλεις ἐπαμύνειν.
κεῖται Σαρπηδών κτλ.

Quamquam concedendum est, Sarpedonem in primis ducibus a Troianorum partibus stantibus numerandum esse. Hic enim vir qualis fuerit haec verba testantur quae Π 548 sqq leguntur

Τρῶας δὲ κατὰ κρῆθεν λάβε πένθος
ἄσχετον, οὐκ ἐπιεικτόν, ἐπεί σφισιν ἕρμα πόληος
ἔσκε καὶ ἀλλοδαπός περ ἐών· πολέες γὰρ ἅμ' αὐτῷ
λαοὶ ἕποντ', ἐν δ' αὐτὸς ἀριστεύεσκε μάχεσθαι.

Quid? potuitne Sarpedoni maior honor tribui quam qui his versibus tribuitur? Quanta fortitudine, quo animo peregrinus ille fuisse videtur, qui ἕρμα πόληος appellabatur! Adde quod Glaucus Ρ 150 sqq de eodem Sarpedone haec dicit:

ἐπεὶ Σαρπηδόν' ἅμα ξεῖνον καὶ ἑταῖρον
κάλλιπες Ἀργείοισιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι,
ὅς τοι πόλλ' ὄφελος γένετο, πτόλεΐ τε καὶ αὐτῷ
ζωὸς ἐών·

Glaucus autem ipse bene meminerat, quanti momenti Lyciorum auxilium esset. Summa enim audacia ea verba prolata sunt, quibus Hectorem allocutus est. Cf. P 154 sqq

τῷ νῦν εἴ τις ἐμοὶ Λυκίων ἐπιπείσεται ἀνδρῶν,
οἴκαδ' ἴμεν, Τροίῃ δὲ πεφήσεται αἰπὺς ὄλεθρος.

Adde quod induciae quoque illis temporibus factae esse feruntur. Inducias autem factas foederi icto simillimas esse vix est quod commemorem. Binarum vero induciarum in carminibus homericis mentio fit. Ac primae quidem induciae factae sunt, ut mortui sepelirentur. Quas ob inducias Idaeus Troianorum praeco ad Graecos missus est: cui Priamus haec fere mandavit H 375 sqq

καὶ δὲ τόδ' εἰπέμεναι πυκινὸν ἔπος, αἴ κ' ἐθέλωσιν
παύσασθαι πολέμοιο δυσηχέος, εἰς ὅ κε νεκρούς
κήομεν. ὕστερον αὖτε μαχησόμεθ', εἰς ὅ κε δαίμων
ἄμμε διακρίνῃ δώῃ δ' ἑτέροισί γε νίκην.

Hae autem induciae statim ab Agamemnone concessae sunt: dixit enim H 408 sqq

ἀμφὶ δὲ νεκροῖσιν κατακαιέμεν οὔ τι μεγαίρω.
οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνηώτων
γίγνετ', ἐπεί κε θάνωσι, πυρὸς μειλισσέμεν ὦκα.
ὅρκια δὲ Ζεὺς ἴστω, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης.

Vides igitur hoc loco quanti illae induciae aestimatae sint. Iureiurando enim dato statim ita confirmatae sunt, ut illas laedere nefas haberetur. Aliud quoque exemplum induciarum in carminibus homericis exstat. Achilles enim cum a Priamo commotus esset, ut Hectoris cadaver solveretur, etiam pollicitus est, Graecos novem dies arma posituros esse. Ipsa autem Priami verba haec sunt Ω 662

οἶσθα γὰρ ὡς κατὰ ἄστυ ἐέλμεθα, τηλόθι δ' ὕλη
ἀξέμεν ἐξ ὄρεος, μάλα δὲ Τρῶες δεδίασιν.

ἐννῆμαρ μέν κ' αὐτὸν ἐνὶ μεγάροις γοάοιμεν,
τῇ δεκάτῃ δέ κε θάπτοιμεν δαινῦτό τε λαός,
ἐνδεκάτῃ δέ κε τύμβον ἐπ' αὐτῷ ποιήσαιμεν,
τῇ δὲ δυωδεκάτῃ πολεμίξομεν, εἴ περ ἀνάγκη.

Induciae igitur iam tum ad certam usque diem factae sunt. Tales autem induciae omnino fieri non potuerunt, nisi inter illas gentes ius quoddam intercedebat. Quod quidem ius gentium appellari posse neminem fugit, quamquam concedendum est, hoc ius gentium maxime in iure divino nixum esse.